...tticismi et proprietatis linguae hic autor non observantissimus, ut ...ris documentis ostendit Cl. D'Orvillius in Animadversionibus. Quo... ...le quod γαῖο dicit in Nomin. Plurali pro τινὲς aliquoties, et ...b. III. Pag. 45. vs. 11. ὑπὸ δειγῆς ἀπορίας κατεῖχετο τοῦ γεγονότος ...χάριν pro ἕνεκα τοῦ γεγονότος, sive διὰ τὸ γεγονός.

...quentia Charitonis loca tractantis dans la Biblioth. Raisonnée d'Octobre, Nov. et Dec. 1750.

...g. 339. Charit. Pag. 5. tentat ὑγρεῖα κόμης ἦσαν.
Pag. 6. τῆς τιμιωτέρας τῶν Συρακοσίων προβουλευτῶν ... γνώμης ἐγένετο. il entreprit de corriger la servante, mais sans insister beaucoup. p.

...346 347 Charit. Pag. 113. tentat προῦλθεν οὖν τις ὡς πρὸς Χαιρέαν, καὶ εἶπεν —
12. quaedam tentat — ὅθεν ἐδύνατο καὶ ζῶν βοηθεῖν. ... autor ... cessionis tentat ὅθεν ἐδύνατο ὁπολύζεσθαι, καὶ βοηθεῖν (εἶπεν).
24. tentat ὡς ὄντι ἀτυχεῖ τῆς παιδείας αὐτοῦ γεγενημένης.
41. tentat κύριος γάρ ἐστιν καὶ ἐξουσίαν ἔχει αὐτῆς. adducto ex Evang. Joh. Cap. VIII. Com. 47. ... καὶ ὑμεῖς πεπλάνησθε.
104. tentat pro edito πῶς ἄλλοι διάφοροι conticat πόθοι ... δια-φοροι.
140. conjectat ἐπακινδυνεύετο, quamquam magis probat interpretis Reis-kii conjecturam.

...ἴλαιρος Pag. 113. eo sensu vera est lectio, ut idem sit qui ἴωρος et ἔξωρος de quibus vid. Suidam, Hesychium, Etymol. Magn. et H. Steph. Thes. V. ἄωρος i ἔξωρος. Nam omnes d'Orvillium cum ... exigui praecedit.

...ag. 16 vs. 1 ... refer hoc Chrysost. Tom. 1. in V. T. Pag. 272. C. καθάπερ οἱ ἀπειροι ... περαιωσαντες τὸ πέλαγος, ... εἰς κόνιν ... ὅ ... ἀποβαίνοντες (f. ἐπιβαίνοντες) τοῦ λιμένος, ... ὅτι ... τῶν ... διεστημένων.

...: usus iam est hoc autore in adornando Lex. Gr. Thes. ut docet praemissus Thes ...rum Graecorum Catalogus. Et est locus ex Pag. huius Edit. 43. positus in V. Χει...

...5. vs. 7. vid. Plut. II. Pag. 453. B.
...21. Vid. Koen in Diss. Critico-Jurid. Inaug. Franek. 1758. Edita legit πάντως δὲ ...

Posthumus. Den Haag
f 20.
21/8/28

MICHAELIS GAVASSETII NOVELLARIENSIS PHILOSOPHI ET MEDICI,

NVNC PATAVII ARTEM vtramque medicam exercentis.

LIBRI TRES.

Primus de Natura Cauterij, & eius accidentibus,
Secundus de Præludijs Anatomicis, seu totius artis medicæ fundamentis.
Tertius de exercitatione methodi Anatomicæ.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS,
Apud Paulum Meietum Bibliopolam Patauinum.
M D LXXXVII.

INDEX RERVM MAGIS MEMORABILIVM.

QVAS IN ERRATIS RESTITVENDIS OBSERVAVIMVS.

INDEX CAPITVLORVM OMNIVM.

Finis Tabulæ Cauterij.

ERRATA SIC RESTITVES. LITERA A. priorem paginam, B. posteriorem; L. lineam significabit.

Fol. 1. b. l. 42. sit. l. 8. 9. loco abundat particula aut. fo. 5. a. l. 41. exitus. b. l. 4. fine. l. 30. tandem. fol. 7. a. l. 28. applicanda. l. ult. subligatio. b. l. 9. futuris. fo. 8. l. 34. alterius. b. l. 9. quæ. fo. 12. a. l. 6. thuris. b. l. 14. ciceris. fo. 13. b. l. 36. contactum. fo. 16. a. l. 17. redacti unc. b. l. 2. carnis occupat. l. 19. dra. i. l. 27. si. fol. 18. a. l. 13. digerendi. l. 16. linquetur. l. 36. m. i. b. l. 10. animi deliquium. l. 35. perfusa. l. 42. rosacei. fo. 19. b. l. 39. betonica. fo. 20. a. l. penul. υχρωεις. b. l. 10. ut. l. 29. contactu. fo. 22. b. l. 8. post dictionem perfusione; addendum. uel unguentum ex cerusa admouebimus, vel huiusmodi. fo. 24. b. l. 8. secare.

INDEX

INDEX RERVM MAGIS MEMORABILIVM.

Constitutio

ratioci-

Spiritus

T

V

INDEX CAPITVLORVM TOTIVS OPERIS.

ERRATA SIC RESTITVES. LITERA A. priorem paginam, B. posteriorem, L. lineam significabit.

Fol. 25. a. lin. 27. τραυματικὴν ἰδίαν. b. l. 9. comeet. fo. 27. b. l. 20. sentiunt. fo. 28. a. l. 40. nomine. fol. 29. b. l. 17. viris. l. 22. sinus. l. 33. delendum est. cum. fo. 30. a. l. 4. 5. νοσημάτων. b. l. 3. asserete. fo. 31. b. l. 16. exordiamur. fo. 32. l. 11. uocant. b. l. 5. chartilaginibus. l. 14. Gal. fo. 37. a. l. 21. successus. ibid. nanque. l. 29. falsæ. l. 41. uisus. fo. 38. b. l. 4. fuerint. l. 22. contactum. fo. 39. a. l. 29. 13. fo. 40. a. l. 2. ab una. b. l. 40. pateretur. fo. 41. a. l. 16. si. fo. 43. a. l. 10. dicamus. fo. 45. b. l. 4. insiti. l. 36. ad fo. 47. l. 14. citatis. fo. 49. a. l. 5. aercus. fo. 50. b. l. 30. similimus. fo. 51. b. l. 13. collisionem. l. 20. 12. meth. 5. fo. 53 a. l. 14. fieret. l. 38. plurimos fo. 54. a. l. 5. facultas. fo. 55. a. l. 18. erat. fol. 56. a. l. 19. tuen. l. penul. numerum. b. l. 10. obtinent. l. 24. custodiunt. fo. 59. b. l. 9. fit. l. 25. hæc. fo. 60. à. l. 8. perfectionis.

Finis Tabulæ. De Prælud. Anatomicis.

MICHAELIS GAVASSETII

DE NATVRA CAVTERII.

CAPVT PRIMVM.

Occaſio ſcribendi. Cap. I.

QVONIAM multi ſunt de re medica optime meriti, qui vſum cauteriorum ita reprobant, ut inter materias remediorum nullum habere locũ contendant, ob id ab amicis rogatus, vt hac de re quid ſentiam velim perſcribere, facere non potui, quin honeſtæ illorum petitioni aliqua ex parte ſatisfacerem, quamuis certò ſcirem me nihil noui, nihil reconditi, aut exquiſiti allaturum, ſed omnia vetera relaturum. Cęterum quæcunque futura eſſent, malui me culpam ignorantiæ quam ruſticitatis ſubire.

Propoſitio rerum de quibus futura eſt diſputatio. Cap. II.

DE cauteriorum itaq; natura verba facturus tria ſtatui, eſſe conſiderãda, quorum primum eſt quid ſit cauterium, & quot illius ſpecies ac differentiæ: alterum quæ ſint corpora, qui affectus & ęgritudines, quæ cauteria maxime deſiderare poſſunt. Tertium quænã ſit cauterij cuiuſque recta adminiſtratio, ex quibus facile conſtabit nunquid cauteria inter materias remediorum ſint iure optimo collocanda: & ne quid piam in hac re deſiderari poſſit de his breuiter loquemur, quæ cauterijs ſuperuenire ſolent, & quibus cauteria cum iucunditate, ſeu minori cum moleſtia geſtari poſſunt.

Quid per cauterium audiendum ſit, & quæ ſit illius natura. Cap. III.

VT autem cauterij naturam cognoſcamus, videndũ eſt, quid nomine cauterii ſit intelligendum, atque ne in iis, quæ ad finem artis parum aut nihil conducunt tempus conterramus. Sciendum eſt nos per cauterium intelligere nõ inſtrumentum aut materiã aliquã cauſticam, qua partes aduruntur, quẽadmodum paſſim & propriè vſurpari ſolet à Gal. & præſertim 6. ſimp. cap. 27. x. ſimp. cap. de ſero lactis. & 5. per loca, cap. 2. nec non pleriſque aliis in locis. Sed impropriè cauterium vſurpamus pro ueſtigio & impreſſione, quæ in parte aduſta relinquitur, hoc eſt pro vlcuſculo illo ſeu conſumptione partis ſubiectæ, quę tanquam effectus ſubſequitur, & quamuis vlcuſculum omne ſit morbus per ſe, accidit tamen, vt quandoque vim habeat materiæ remedii, in qua ſignificatione nos vtimur hoc loco, quare non vt eſt morbus, ſiue capiatur morbus pro affectione, ſeu læſione facultatis, ſiue pro affectione vna cum cauſa contentiua, & propterea non vt eſt con-

rutio præter naturam lædens operationem.

Cum itaque vlcuſculum hoc dupliciter conſiderari poſſit, & vt vim habet lædendi operationem, & vt habet rationem materiæ iuuantis, & iam dictum ſit vlcuſculum hoc ſeu cauterium a nobis conſiderari, vt vim habet materiæ iuuantis, ob id in hac ſignificatione acceptum ſic deſcribi poſſe putamus (vt Cauterium ſit vlcuſculum in extima parte humani corporis a re adurente opera chirurgi excitatum vt exitus materiæ morbificæ paulatim euacuandæ præbeatur) hæc definitio cum ſit accidentis eius generis, quod habet cauſam finalem & efficientem ob id non ſolum per formam & materiam in qua deſcripſimus, verũ etiam per cauſam efficientem & finalem, etenim vt accidentium perfectam & abſolutam definitionem habeamus neceſſe eſt in his, q̃ finẽ habẽt, vt in illorũ definitione cauſa finalis ponatur, in his vero quę fine carẽt, cauſa efficiens, quę vero vtriſque prædita ſunt, vtraque ponantur, vt ſit tota demonſtratio ſola poſitione, terminorum diſtans ab ea: at ſi prætermitteretur cauſa efficiens, vel finalis, quemadmodum ſępe videre licet apud Gal. tum deſcriptio illa non eſſet perfecta, quoniam non eſſet tota demonſtratio, ſed eſſet vel principium vel concluſio demonſtrationis. Cauſa itaque formalis in hac definitione erit (vlcuſculum) quod eſt genus commmune fonticulis ſeu cauteriis pro ſpecie acceptis ſetaceis, veſicatoriis & exuſtionibus. Cauſam materialem in qua fit cauterium diximus eſſe (partem extimam humani corporis) qua cauterium diſtinguitur ab exuſtionibus, quæ fieri ſolent in partibus internis vel oris, vel naſi, vel alicuius alterius partis corporis, etenim cum fero, uel argento, vel auro candente & hæ fiant, cauteria quoque & ipſæ nominari poſſunt, de quibus tamen in præſenti non eſt nobis ſermo habendus, dictum autem fuit (humani corposis) vt conſtaret nos verba facere de cauteriis, quæ ad ſalutem hominis non equi, aut alterius bruti animalis cõparandam excitantur. Tertio loco diximus (à re adurente opera chirurgi excitatum) vt cauſam vtranque efficientem ſignificaremus tum primariam, tum inſtrumentalem, qua cauſa diſtinguitur cauterium a quocunq; alio vlcuſculo, quod opera & chirurgi induſtria vi rei adurentis nõ ſit elaboratum. Poſtremo loco dictum fuit (vt exitus materiæ morbificæ paulatim euacuãdæ præbeatur) vt hoc fine conſtaret chirurgũ nõ excitare cauteriũ ob eam cauſam vt morbum inducat; ſed vt merito huius vlcuſculi exitus materiæ noxiæ & moleſtæ præbeatur, quare ſequitur ex his, vt cauterium vim habeat materiæ remedij præſeruatorij, non autem curatorij, aut vitalis quoniam etſi quandoque contingat, vt cauterij beneficio ęger morbo aliquo liberetur, aut virtus cuſtodiatur, vel adaugeatur id per accidens, & ſecundaria quadam ratione contingere eſt exiſtimandum, neque vllo modo credendum eſt ipſi contingere, vt ſit indicatum ſeu remedium, cum indicatum ſit ſecunda quædam notio, quæ tota primis nititur; quod vero materia remedij a remedio diſtet, vt ſecunda notio à prima, pręterquã quod ratio hoc ſuadet Gal. quoque in l. de conſtitut. artis. cap. 14. 5. per gen cap. 2. 4. per genera. cap. 1. 5. per genera. cap. 5. nec non manifeſte 3. in 3. de vulg. morb. 76. & pleriſque alijs in locis hoc idem teſtari videtur, vbi materias ὕλας appellat, auxilia vero βοηθήματα, vt in rebus manifeſtis non ſit immorandum præſertim cum hac de re longè lateque in gymnaſio Patauino à viro clariſſimo præceptore meo diſputatum ſit.

Sed quæret quiſpiam cum cauterio accidat, vt ſi materia remedij preſeruatorij, & omne remedium præſeruatorium ſit alicuius cauſæ remedium, quodnam erit hoc remediũ, cuius materia dicitur cauteriũ, & quænam erit cã proxima, a qua huiuſmodi remedium indicatur?

Cui

Cui quæſito ſic ſatisfieri poſſe arbitramur ſi dicamus remediũ hoc nihil aliud eſſe quàm aperiens quod indicatur à continuitate cutis tanquam à cauſa proxima, cum hæc vim habeat cauſæ morboſæ, quando propter continuitatem illã materia morboſa in corpore exiſtens per cutim euacuãda ſiue illius diſruptione euacuari non poſſit, ſed hæc propter curioſos, & quæſtionibus logicis oblectantes. Conſtat itaque merito finis cauterium à morbo ſeparari, nec nõ a quacunq; alia exuſtione opera medici excitata, quæ ſubito & affatim fieri ſolet, quemadmodum euenit cum pars aliqua putrida inuritur, ne ſui contactu partem ſanam inficiat, vt in Gangrena, Sphacelo, Cancro cõtingere ſolet, abũdat particula nim virulentiã aliquam & deleteriam qualitatem in aliqua parte corporis exiſtentẽ, quæ ſit cauſa alicuius praui ſymptomatis extrahere ac penitus extirpare ſtudemus quẽ admodum ſuperioribus annis cuidã Rag. euenit, qui cum ex ictu cuiuſdam catapultæ pollex manus ſiniſtræ contuſionem quandam & ſatis inſignem ſuſtinuiſſet ab ea liberatus tribus vel quatuor annis per crebra interualla inſignem & vix ferendum capitis dolorem ex eodem latere paſſus eſt, qui etiã humerum & brachium eiuſdem lateris attingebat, ad quem ſedandum eum innumerabilia fermè remedia fuiſſent abhibita, nihil tandem profuit præterquam exuſtio eiuſdem pollicis in ea parte, in qua contuſionem paſſus fuerat, etenim poſt illam exuſtionem nullum amplius percepit capitis dolorem. Cum itaque eiuſmodi inuſtio & ipſa dici poſſit vlcuſculum à re adurente excitatum, à præſenti tamen ſpeculatione excluditur quemadmodum & cauteria, vi quorum extrahuntur affatim foliculi, qui atheromata, ſteatomata, & meliceriдes faciunt.

Definitio Cauterij & cuiuslibet paſſionis quomodo in formam ſyllogiſticam ſit commutanda. Cap. IIII.

HAEC eſt vt arbitrior perfecta & integra cauterij definitio, quæ ſola poſitione terminorum differt a demonſtratione. Quòd ſi quiſpiam nimis curioſus deſideraret, vt termini definitionis ad formam ſyllogiſticam accõmodarentur, is loco medij vtatur materia in qua, ſed generica magis vna cũ cauſa efficiente ac finalis paſsionis demonſtrandæ de proprio ſubiecto: pro maiori extremo capiat formam, pro minori proprium ſubiectum, vt eiuſmodi fiat demonſtratio (Quodcunq; corpus opera chirurgi inuſtum fuerit vt exitus materiæ noxiæ præbeatur, vlcuſculo, ſeu cauterio affici dicitur: ſed extima pars humani corporis eſt huiuſmodi corpus hoc modo inuſtũ vlcuſculo itaque ſeu cauterio affici dicitur:) formam namque paſsionis nihil aliud eſt quàm illius explicatio generica magis, vt optimè norunt logici, ad quos lectorem reijcio.

At ſi quis adhuc magis curioſus deſideraret ut per verbum ſubſtantiuũ demonſtratio hæc erigeretur, is certe logicæ facultatis eſſet imperitus, quoniã ignoraret ꝓprium accidentis eſſe non vt ſit, ſed vt inſit, & inhæreat, & paſsionem demonſtrari nõ de paſsione, ſed de ſuo ſubiecto: idque perpetuo verum eſt, ni fortè quiſpiam nomẽ ſibi fingat, quod aptitudinem ſignificet cuiuſmodi eſſet cauterizabile, quia tunc per verbum ſubſtãtiuum ratio formari poſſet. Quòd vero huiuſmodi propoſitiones ex quibus ratio hæc conflata eſt ſint de omni per ſe, & ſecũdum quod ipſum pro ſubiecta materia, ex his, quę ſuperius dicta ſunt, ſatis conſtare arbitror.

At ſi quis definiret cauterium hoc modo (Cauterium eſt exuſtio corporis opera chirurgi facta, vt exitus materię morbidæ præbeatur,) is non eſſet quidem reprehẽdendus, quo

niam & hæc esset definitio,sed imperfecta,& illius generis quod principium demonstrationis appellatur:rursus si quis diceret.(Cauterium est vlcusculum)nec is quidem grauiter peccaret, quoniã & hæc est definitio,imperfecta tamen,quæ dicitur conclusio demonstrationis.

Cum itaque de re aliqua plures fieri possint definitiones,mirum non est,si multi in legendis libris Gal.vel Hipp.aut eos damnant,quod non recta definitiones rerum sint assecuti,aut existimantes omnes; quæ ab his proponuntur definitiones perfectas & absolutas esse eodem modo,quo scriptæ sunt, vsurpant,atq; in illis nihil omnino desiderari contẽdunt,quod cum faciunt se penitus rudes,& in arte logica parum versatos ostendunt,quare professores artium in aliorum scriptis legendis aut damnandis debent esse admodũ oculati iuxta illud ad pauca respicientes facile enunciant.

Sed iam audio quorundã sibillos & exclamationes; quibus iam prouecta ætate non multùm temporis superest, vt in eiusmodi rebus demonstratoriam methodũ exerceant; quorum nonnulli aut proprio amore capti,aut vmbratili quadã sapientia,aut honoris,inanisq; gloriæ cupiditate, aut arroganti iactantiæ perciti se sibiipsis aliquid firmi tantum sapere persuadent,nonnulli vero idẽ alijs persuadere contendunt.Sed iam permittamus, vt suo quisque inseruiat genio & ad rem redeamus.

Differentiæ cauterij essentiales. *Cap. V.*

COGNITA cauterij natura,differẽtiæ sunt nobis proponendæ, quarum aliæ essentiales, accidẽtales aliæ dicuntur essentiales quidẽ sunt, quæ a forma capiuntur, aliæ omnes accidentales dici possunt:essentia:namque definiti tota pendet a forma,vt inquit Auer.2.post 6.Cætera vero,quæ in definitione ponũtur formam ipsam alioquin vniuersalem coarctat.At forma cauterij erat vlcusculum,quare pro diuersitate vlcusculi, diuersæ quoque erunt differentiæ ac species cauterij,eo modo quo differentiæ,ac species esse possunt.Hoc itaq; vlcusculum considerari potest,vel vt est cauum vel planum,si vt cauum,vel vnicũ est foramen, vel duplex:si vnicum est foramen cauterij nomen retinet, ni fonticulum malimus appellare;& si duplex fuerit foramen a funiculo,qui per foramina illa diducitur,cum olim ex setis fieri consueuisset,setaccum nominabitur;quod si planum fuerit vlcusculum, vel bula excitabitur,vel fero candente cutis inuretur & exustiones vocabuntur.

Differentię cauteriorum accidentales & primo à materia in qua. *Cap. V I.*

AT si consideremus materiam in qua tot erunt species ac differentiæ cauterii, quot erũt partes, in quibus tuto & commodè excitari solent, tuto autem excitantur in omnibus partibus corporis ignobilioribus, commodè vero in iis, quarum causa motus artificiosi corporis non impediuntur ,veluti si in brachiis, curribus in capite in occipitio inurantur,ab his itaq; appellationem suscipiunt.

Differentiæ cauterij à causa efficiente. *Cap. V I I.*

A CAVSA quoque efficiente aliæ differentiæ oboriri possunt,etenim pro diuersitate materierũ, quibus excitantur cauteria diuersas quoque differẽtias seu diuersas ap-

ſas appellationes ſubire poſſunt: materiæ itaq; vel ſunt in corpore, vel corpori admouentur, in corpore quidem ſunt, cũ materia quædam acris, ſiue ſit bilioſa, ſiue pituitoſa, cuiuſmodi eſt pituita ſalſa interdum hanc vel illam partem ita mordicat, & adurit, vt vlcuſculis excitatis in cauteria facile commutari poſſunt; quemadmodũ cuidam amico meo ſuperioribus annis contigit, cuius crura cũ vlcuſculis quibuſdam afficerẽtur, neque ob humoris redũdantiam, acredinem, ac temporis diuturnitatem vllo modo ſanari poſſent, ad fonticulos ſumma cum vtilitate deduxit; quare huiuſmodi cauteria quodammodo naturalia vocari poſſunt, quando natura huiuſmodi emiſſaria ad corpus expurgandum ſibi parauit. Corpori vero quæ admouentur materiæ multæ ſunt, & diuerſi generis, etenim vel actu adurunt, vel poteſtate, quare cauteria, vel actualia, vel potentialia quodammodo nominari poſſunt.

Materiæ quæ actu adurunt, & quæ poteſtate. Cap. VIII.

AT materiæ quæ actu durunt, propemodum infinitæ ſunt, cum accenſæ fuerint, ſed quæ in hunc vſum maxime vſurpantur ſunt ferrum, argẽtum, aurum, radix ariſtolochiæ, ſeu aſphodeli, gentianæ, ſtruthii, ramenta buxi, myrri ſummè excalfacta, ſulphur incenſum, aut aqua, aut oleum feruens, aut lana ſordida bene carminata, quæ igne valde incaluerit: oui cortex ſi vehementer callet, aut aliud quid huiuſmodi actu adurens.

Quæ vero poteſtate adurunt ſunt & ipſæ multæ omnes tamen calidæ in quarto gradu terreæ, & igneæ ſubſtantiæ, ſed quædam ſunt calidæ in primo: quædam in ſecundo: quædam in tertio ordine: & aliæ ſunt craſſioris; aliæ tenuioris ſubſtantiæ, & ob id aliæ maioris, aliæ minoris actiuitatis, quo fit, vt quædam ſimulatq; corpora cõtigerint, poteſtatem ſuam oſtendant: quædã duabus, tribus, quattuorue horis opus habent, nonnulla diem totum, vel etiam poſt eum noctem, vel maius dein ſpatium requirunt.

Inter leuiora numerantur naſturtium, ſinapis, radix helenii, lepidii, ſcilla trita, nuclei alii & tunicæ, lac tithymali, thapſia, euphorbium, tartarum vſtum, canthacides, flamula iouis, omne genus batrachii ſiue ranunculi herbam, fimus columborum maxime ſiluestrium, fimus caprillus, & ſi quæ ſunt huius generis.

Inter mediocria numerãtur chalcitis, vitreolum romanum miſi.

Inter veheẽtiora, & magis gñoſa sãdraca, arſenicũ, & calx viua, ex quib. oĩb. parari pñt cauſtica leuiora, potentiora, & potẽtiſſima, nam & eſcharotica illa vehementiora poſſunt caſtigari, & benigniora fieri, ſi adurantur, & multo magis ſi abluantur, immo per aduſtionem, lotionem & multam attritionem ſub ſole, quæ ſuaptè natura adurere & eſcharam inducere conſueuerunt, ſic præparata ita mitiora & benigniora redduntur; vt in vlceribus quoque maxime conueniant, & pręſertim in his quæ non vitio tantum corporis, ſed ſui prauitate curationem ægrè admitunt. In quarum materierum vſu illud eſt animaduertendum, vt non ſine aliqua præparatione admoueantur, etenim ſi medicamẽtum adurens actu adurere debet, neceſſe eſt vt potentia illa ab aliquo agente extrinſeco ad actum deducatur, hoc autẽ agens cum nihil aliud ſit quam calor innatus, neceſſe eſt, vt calor hic in medicamentum agat, in eoque vim adurendi ſopitam excitet, hoc autem facilius præſtabit, & citius, ſi materia quæcunq; fuerit illa ita præparabitur vt illius calorea calore natiuo excitatus vim ſuam oſtendat, præparabitur autem, ac eiuſmodi euadet, ſi herbæ contundantur, animalia lapides, & metalla, in ſubtiliſſimum pollinem comminuãtur, etenim quo ſubtiliora redduntur, eum minori cum dolore adurunt; ete-

nim

nim quanuis crassiora tardius ad actum deducuntur, quam tenuiora vehementius tamē agunt quam illa, quemadmodum ferrum ignitum vehementius adurit quā palea, herbæ itaque vt citius & minori cum dolore agant, vt supra diximus sunt contundendæ, anima lia exsicanda, & in pollinem redigenda, lapides & metalla conterrenda, quibus solis raro aut nunquam vtimur nisi vrgente necessitate, quare si voluerimus hæc simul commiscere, & arte causticum aliquod parare, id facile fieri poterit,

Caustica composita adeo benigna vt vesicatoria vulgò dicantur. *Cap. IX.*

LEVIORA itaque caustica si desiderabimus, vtpote quæ solam cuticulam attingũt, & vesiculam tantum excitant parabuntur ex batrachio contuso vel flamula Iouis contusa cum modico aceti acerrimi, vel scilitici, vel quod magis placet cũ oximelite & modico fermenti, in his enim agens præcipuum erit vel batrachion vel flamula Iouis, acetum vim habebit adiuuantis, quod si loco aceti oximelitis adiũgatur correctioné adhibebit, quoniam venefica illa qualitas retunditur: fermentum vero acrimoniam obtundet & vi sua emplastica calorem natiuum fouebit, vt facilius ac promptius in medicamētum agat, his quoque puluis scordii, sinapis euphorbii squamæ æris, sandarachæ, auri pigmenti, æris vsti, atramenti sutorii, veratri nigri, elaterii, veratri albi, scamoniæ, si placebit, adiũges, & loco oximel, vel aceti possumus capitellum, vel aquā ardētem usurpare, tunc enim medicamētum generosissimum erit & quàm citissime operabitur, quemadmodum colligitur ex Gal. 5. per loca. cap. 7. Ex quibus quāto maior copia principaliter agentis im miscebitur & minor retundētis tanto efficacius operabitur, compositiones itaque uarias sibi parabit medicus pro natura partis. Quòd si medicamētum idem ex cantharidibus parare uolueris quod magis nobis arridet, ac tutius esse uidetur eadē ratio erit seruãda, quare si generosum medicamentum desideras in hoc genere semiunciæ, cantharidũ addas drac. ii. Euphorbii, & tantundē fermēti, aceti uero scilitici, aut oximelitis quātum sufficit & fiat pultis. Quod si leniusculũ desiderabis loco Euphorbii utitor sinapi ita ut & sinapis & cantharidum sit par quantitas; cum una uel altera drachma fermenti & oximelitis quātum sufficit, qua in re cautio illa est adhibenda ut cātharides sint præparatæ hoc est alis & pedibus circuncisis, quando hæc uentris ipsarum alexipharmaca existant. Verum si adhuc benignius amabis imminuatur dosis cantharidum & augeatur dosis tum ad iuuantis tum excipientis, & calorem natiuum fouentis ut sint uentris canthar. drac. ii. sinapis. drac. iii. fermenti. drac. iiii. oximel quātum sufficit misce & fiat pasta cum itaque medicamenta proposita uim habeant uesicam tantum excitandi, ob id huiusmodi cauteria, ut supra diximus uesicatoria uulgo nuncupantur, græcis φοινιγμοί.

Caustica composita, quæ nedum cuticulam verum etiam cutim, & carnem attingunt leuiora tamen. *Cap. X.*

QVOD si nedum cuticulam uerum etiam cutim, & carnem subiectam attingere uoles necesse est, vt ad caustica validiora, & magis generosa confugias, vel leuioribus arte succurras, hæc autem pluribus modis parari possunt, quare si inter hæc leuioribus vti voles oleum ex vetriolo Romano nō autem germanico tibi parabis, sic enim facile parari potest, si vitriolus in clybano seu fornace reuerberante vi ignis rubedine contra-

&a in vas vitriolo depressum nõ rotundũ collo oblongo speciem citharæ referens,& optime lutatum conijciatur,deinde vas illud rursus in eandem formam inijciatur, & prius lento igne mox magis concitato eliciatur humor quidam atri coloris & oleaginosi, qui oleum ex vitrido appellatur, hic maxime erodit,& exulcerat,si diutius parti subiectæ in hæreat,idque sine morsu, etenim medicaméta quo tenuiora, & moliora sunt, eò minus mordent,& minorem dolorem faciunt :sed præter hoc oleum habemus quoque calcem viuam & saponem molem seu nigrum,etenim si calcis viuę partem vnam capias,duplam vero saponis nigri in ea quantitate quæ opportuna est pro cauterio efficiendo, & simul admisceas cum modico salis gemmę vel communis & saliuæ,& antequam refrigeretur ipsum administres causticum satis leue ac tutum habebis.

Caustica composita carnem subiectam adurentia,& validiuscula. *Cap. XI.*

QVOD si validiusculum desiderabis præscribatur hoc modo, recipe calcis viuæ, drac.1.saponis nigri drac.5.salis gemmæ,l.g.1.opij g.2.saliuæ quãtum sufficit misce & fiat veluti lutũ, qđ si loco calcis fimum columbinũ,vel caprillũ vsurpabis sic præscribatur, recipe fimi columbini quod tibi videbitur,& in pollinem subtilissimũ conuersum capitello dissolue quo tempore vti volueris, & fiat veluti vnguentum, quod quanto recentius fuerit, tanto citius vim suam imprimet. Eiusdem quoq; generis caustici cũ habebis si paretur hoc modo recipe aquæ ardentis,quæ dicitur aqua saponis lib.5.seminis orizæ,& frumenti excorticati an. vnc. 5. macera in vase vitreo bene obturato, donec granis dissolutis totũ fiat mucosum: serua,sed diebus singulis ligneo baculo moue & obtura,& vtitor hoc enim parti admotum tribus horis aut eo plus cauterij vice vrit & vlcerat,ardens aqua hodie fit alumine, sale petræ,& chalciti destilatis, vt ars chimistarum docet,triticum & oriza cum sint mitiora, aquæ ardentis vehementiam nonnihil obtundunt.

Caustica composita carnem subiectam exurentia et valde generosa. *Cap. XII.*

SI causticum adhuc validius desiderabis præscribatur hoc modo recipe calcis viuæ quantum placebit & in pollinem subtilissimum conuersam capitello dissolue quã do vti volueris recentius enim vim suam citius & vehementius ostendit: hoc vnum tamen obseruabis in causticis præparandis vt semper aliquid immisceas quod vim habeat sensum retundendi veluti est oppium per capitellum autem nihil aliud intelligimus quã lixiuium, quod sic parari potest,recipe cineris stipitis fabarum lib.iij.calcis viue puluerizatæ lib. 1.misce in cistella ex viminibus contexta atque puluerem illum aqua irrorando diligenter comprime, vt densior ,ac durior euadat,atque in summa parte excauato ita vt foueam efficias,in quam aquam feruentem infundas oporret:cui cistellæ vas vacuum sup ponito, quod aquam illam distillantem excipiat,hoc erit capitellum, quod optimum iudicabitur,si ouum in eo innatabit, dummodo adsit in sufficienti quantitate,quod si capitellum validius desiderabis pulueribus illis & præsertim in fouea adde aliquid pulueris chalcanti, vel attramenti sutorij idem enim est,vel vitreoli Romani, vel auri pigmenti, vel alicuius huiusmodi caustici, & irroratio fiat ex aqua ardenti,qua vtuntur auro chalci, vel ex decocto cucumeris asinini,vel ciclaminis,vel batrachij,vel flamulæ Iouis, & idem decoctum feruens loco aquæ communis infundatur,etenim quod destillabitur capitel-

lum

erit generoſiſſimum,ſi cauſticum adhuc validius prẹſcribere volueris, hoc modo & facillime paretur, recipe calcis viuæ drac.1 arſenici drac.5.ſubtiliſſime pulueri zentur, & cum ſapone molli,ſeu nigro miſceantur,quibus adde opij gra.v.& ſi placet tartari ſcrop. 11.eiuſdem generis habebis ſi præſcribatur hoc modo,recipe ſucci ciclaminis drac.15.capitelli prædicti drac.4.vitreoli Romani optime puluerizati drac.3. ſalis nitri drac.2. miſce & fiat ebulitio ad ſpiſſitudinem deinde adde opij drach. 1. validius reddes & minus validum pro capitelli vehementia,paratur quoque hoc modo atque tuto adminiſtratur, recipe prædicti capitelli lib.5.uitreoli Romani drac. 15. miſce & fiat ebulitio uſque ad ſpiſſitudinem,deinde ab igne amoue & adde opij drach.1.& in uaſe uitreo æneo cera rubra optime occluſo ſeruetur ad uſum,ſed in his cauſticis pręparandis hoc unum eſt obſeruandum illa nobis magis probari,quæ fiunt ex his, quæ carent ui adſtrictoria, qualis eſt calx uiua,nam quæ parantur ex chalcitide,myſi, atramento ſutorio, & id genus alijs cum uim habeant adſtrictoriam,tardius eſchara ab illis excitata excidere ſolet, quare his uti potius debemus,ubi ſanguinem ſupprimere uolumus e uaſorum eroſione erumpentem.

Cauterij differentiæ ex cauſa finali deprompte. Cap. XIII.

POSTREMO ſi cauſam finalẽ ſpectemus & propterea cauterium ut eſt materia remedij aperientis omnia cauteria aperiẽtia dici poſſunt;atſi conſideremus cauterium, ut eſt materia per accidens remedii non aperientis,ſed euacuantis, quod indicatur a materia morboſa incorpore exiſtente,cum hæc materia ſui euacuationem deſiderans pluribus modis conſiderare, & peccare poſſit ob id remedium euacuans pluribus modis cõſiderabitur,& ſic cauterii, cum illius ſit materia plures poterunt eſſe ſpecies accidentales;etenim materia morbida,quæ ſui euacuationẽ poſtulat,vel eſt vapor, vel minera vaporis, ſi vapor tantũ fuerit quod raro aut nunquã cõtingere ſolet non eſt vt ad cauteria cõfugiamus quare neq; in tympa uite,neque hernia vaporoſa, neq; in alio aliquo tumore flatulento cauteria erunt oppottuna;quod ſi fuerit minera vaporis conſiderãdum erit ſitne dura & ſolida quemadmodum calculi in veſica & renibus, caro putrida in Gangrænis & cancris,& quæcũq; ſunt huius generis quamuis ſui ablationẽ indicent à pręſenti tamen ſpeculatione excluduntur,quãdo paulatim, vt diximus ſuperius per cauterium educi non poſſunt.At ſi materia fluida & mollis extiterit,vel ad partem mouetur & fluit vel iam fluxa eſt, ſi fluxa eſt vel a vaſis ad ſpatia mouetur,uel in ſpatiis ipſis cõquieſcit, ſi in ſpatiis conquieſcit, tunc uidendum erit nunquid pars illa, in qua reſidet ſit nobilis,an ignobilis exiſtat,etenim ſi ignobilis fuerit uirtus partis affectæ ſuſtinebit ut euacuatio fiat per partem affectam,& ſic perforationem admittet,& huiuſmodi cauterium ſimpliciter euacuans nominabitur;atſi pars affecta fuerit nobilis euacuationem per partem affectam nõ ſuſtinebit,quare nec perforationem in ea parte admitret, ſed per partem proximam cum gal.in lib.de curatione per ſanguinis miſſ.19.& 4.meth.6. & 2. ad gal. primo euacuatio erit facienda, & cauterium per quod eiuſmodi materia euacuabitur deriuatoriũ noĩabitur.At ſi materia ex uaſis ad inania,ſeu ad ſpatia moueatur tunc indicat ſui deriuationem ſiue pats nobilis, ſiue ignobilis exiſtat,quod ſi ignobilis fuerit ẽt per locũ affectum euacuari poterit. Quòd ſi meteria moueatur ad partem,ad quam moueri non deberet ſui interceptionem,& auerſionem indicabit, quæ cum Gal. 5.meth.3.fieri poteſt reuulſione,deriuatione & repercuſſione, reuulſionem, & repercuſſionem deſiderat materia,

ria,si valenter & maximo cum impetu moueatur, quod incipientibus inflammationibus fieri solet, vt recte Gal. testatus est 4.met.6.& in lib.curand. per sang.mis. 19. Quòd si non moueatur tanto cum impetu, sed maiori ex parte materia fluxa sit, tunc deriuare magis expedit, quam reuellere, quoniam trãslatio dicebat gal. ad propinquiora promptior est, & è loco vicino facilius fit accessus, & attractus, quã è loco distanti, reuulsio itaq; indicatur ab insigni motu materiæ, seu à materia vt insigni motu mouetur: deriuatio vero à remissiori motu; euacuatio simpliciter à materia quiescente, interceptio à motu materiæ, vt respicit spatium per quod, te percussio verò à materia, ut partẽ ferit, & percutit, cuius repercussionis materia cũ cauterium esse non possit ob id apræsenti negotio excluditur. Cauterijs itaque materia reuellitur, deriuatur, intercipitur, & simpliciter euacuatur. In reuulsione duo desiderantur contrarietas, & distantia, quemadmodum inquit Gal. 4.meth. 6. 5. meth.3.13.meth.41.3.in primũ prorrh.53.2.in 6.epid.7.& 28.ratio est, qm contraria sunt illa, quæ in eodẽ genere maxime distant. Contrarietas autem spectatur in longitudine, latitudine, & altitudine: in longitudine quidem, vt supra, & infra: in latitudine hinc inde: in altitudine ante retro, intro foras, vt gal. nobis significauit. In arte med. 89. & 99. in lib. de cucurb. & scar. 2. & Orib. ex gal. 18. & vltimo. In deriuatione quoque duo desiderãtur diuersio ad latera & propinquitas. In interceptione retardatio seu remoratio in spatio, vel potius inhibitio: quare cauteriũ quod fit in parte opposita dicitur euacuans reuulsorium: quod in parte proxima parti affectę, & laterali euacuans deriuatorium: quod in spatio, per quod fluit materia euacuãs interceptorium. Hæ sunt omnes differentiæ, tum essentiales, tum accidentales, quæ cuterio contingere possunt: de quibus singillatim disputare nõ est necesse: quare de essentialibus tantum verba faciemus: & primo de uesicatoriis & exustionibus loquemur: secundo loco de setaceis: tertio & ultimo de cauteriis pro specie acceptis; quorum omniũ natura primo declarabitur, secũdo loco uidebimus, quænam sint illa corpora, & ęgritudines, quæ cauteria maxime desiderare uidentur. Tertio loco de uniuscuiusq; recta administratione loquemur, postremo de his, quæ cauteria subsequi solent.

Descriptio Vesicatorij: exustionis setacci, et cauterij pro specie accepti. Cap. XIIII.

VT autem breuiter de uniuscunque propositi cauterii natura loqua mur, singulorum definitio est proponenda, quę proposita facile constabit in quonã conueniant, in quoue differant, atque ut à natura uesicatorii exordiamur.

Statuendum est) Vesicatorium nihil aliud esse quam ulcusculum planum in ex tima parte corporis à materia uesicam excitante opera chirurgi productũ, ut exitus materiæ morbidæ paulatim educendæ præbeatur.

Exustionem uero, & ipsam esse ulcusculum planum in ex extima parte corporis à materia actu adurente, opera chirurgi excitatum, vt exitus materiæ morbosæ paulatim educendæ præbeatur.

At setaceum esse ulcusculum cauum in extima parte corporis ex perforatione duplicatæ cutis stilo ignito opera chirurgi excitatum, vt exitur materiæ morbidę paulatim educendæ præbeatur.

Poſtremo cauterium eſſe vlcuſculũ cauum à materia adurente in extima parte corporis opera chirurgi excitatum vt exitus materiæ morboſæ paulatim educendæ præbeatur.

Quæ omnes cauterii ſpecies fine & primario efficiente conueniunt: differunt vero inter ſe primo quidem forma, quoniam veſicatorium, & exuſtio ſunt vlcuſcula plana ſetaceum vero & cauterium vlcuſcula caua: ſed cauterium vnum habet foramen: ſetaceum vero duobus minimum foraminibus abſoluitur. Differunt deinde materia ex qua, quoniam exuſtiones & ſetacea ſemper fiũt a materia actu adurente: veſicatoria vero & cauteria ab vtraque materia, tum actu, tum poteſtate, adurente: quamuis magis in vſu ſit vt veſicatoria fiant à materia poteſtate, quam actu adurente. Videntur etiam quodammodo inter ſe differre materia in qua, quãdo veſicatoria & exuſtiones ſolam cutis ſuperficiem attingunt: Cauteria vero & ſetacea intimius penetrent. Differunt præterea quòd veſicatoria & exuſtiones pluribus in locis fieri poſſunt, paucioribus fonticuli, pauciſſimis ſetacea, idque non merito indicantis: ſed prohibentis contingere videmus. Accedit etiam quod veſicatoria & exuſtiones ſunt materiæ remediorum leuiorum; ſetacea vero & fonticuli vehementiorum, neque vno & eodem modo hæc omnia fiunt, quemadmodum conſtabit vbi de recta adminiſtratione loquemur.

Corpora & paßiones quæ cauteria deſiderare videntur. Cap. XV.

HACTENVS de natura cauterij dictum eſt, quare ſupereſt, vt videamus quænam ſint illa corpora, quęnam illæ paſſiones, quæ materiam hanc deſiderare videntur quod vt vnuſquiſque facile cognoſcat confugiendum eſt ad ea, quæ ſuperius a nobis dicta ſunt nempe cauterium eſſe vlcuſculum, quod non ob aliam cauſam adminiſtratur, niſi vt exitus materiæ morboſę paulatim euacuandæ prębeatur, quod gal. innuiſſe viſus eſt L. de cauſis morb. 6. quãdo dixit naturam ab initio materiæ inutilis expurgandæ gratia multa inſtrumenta fabricaſſe, omnibusque corporis partibus non æquale robur dediſſe, cũ principes partes ac nobiliores ſtatim ab initio maiori robore dotauerit, idque vt corporibus impuris in quibus inutilis materia redundat ad ignobiliores, ac imbecilliores conflueret, nam ſuperfluus humor, vt qui a partibus robuſtioribus expellitur, & nullibi conſiſtere poteſt, tantum ad imbecillimam partem detruditur, hęc autem pars, vel talis exiſtit, quia natura ipſa exigit vt talis aliqua habeatur, vel quia ob aliquod vitium imbecillitatem contraxit, talis à natura cutis fuit comparata, quæ cum nullam operationem propriam habeat, ſed vſus tantum gratia à natura fuerit inſtituta optima ratione partibus alijs, quæ aliquam habent operationem imbecillior fuit facta, vt & quoddam veluti velamentum, & amictus animalis amicus exiſteret, atque totius corporis excrementa ſuſciperet, vt per illius inſenſibiles meatus euacuarentur, id quod ad tuendam ſanitatem ſatis eſſe potuit, cum errore nullo humorum redundantia non fuerit in corpora collecta; at ſi talis accideret error vt copioſa generentur excrementa, ita vt non amplius naturalia ſufficiant inſtrumenta ad excremẽtorum multitudinem expurgandam, quis eſt ille tam fatuus, qui non fateatur procurandum eſſe, vt fluxiones a valentioribus partibus ad imbecilliores detrudantur; quare ſi per inſenſibiles meatus cutis tantam excrementorum copiam euacuari non poſſe videbimus,

mus, dabimus operam, vt in cute ipſa excitatis vlcuſculis, per ſenſibiles meatus euacuetur,quæ vlcuſcula maxime quoque opportuna iudicauit gal.lib.de Theriaca ad.Piſ.ſi tamen lib.eſt Gal.16.& 5.per loca 9.ad rabidi canis venenum euacuandum,nec non ad dolorem dentium a fluxione excitatum leniendum,quare ex his conſtat illa corpora materiam hanc deſiderare, in quibus excrementa maxime redundant vel propter capitis,vel ventriculi, vel iecinoris,vel lineis, vel vteri imbecillitatem,& præſertim vbi periculum eſt,& ne materia in corpore peccans ad aliquam partem nobiliorem præcipitata,grauiſſimum aliquod vitium, aut mortem tandem inducat,& eo magis conuenire exiſtimamus,ſi viſcera principalia ita erũt intemperata,vt nullo genere medicamentorum ad priſtinam temperiem reuocari poſſint, aut ſi natiua fuerit ipſam emendare;quemadmodũ illis euenire ſolet, qui vel in ratione viuendi ſunt admodum intemperati, vel morbo aliquo hæreditario torqueri conſueuerunt,aut qui Epilepſia,mania,lethargo,& alijs omnibus vitijs capitis quæ à materiæ fluxu prodeunt,corripiuntur,quemadmodum etiam qui fluxiones oculorũ patiuntur,aut cũ materia ad ſpinalem medullam à capite corriuat, vt in ſemiparalyſi, aut in reſolutione alicuius membri in ſtupore,tremore,arthritide, aut contractione, nam cauteria non modo conueniunt merito materiæ quæ iam decubuit,verum multo magis merito materiæ, quæ dum fluit,morbum fouere poteſt,idem etiam dicendum eſt de illis,qui dentium dolore,ac putredine,gingiuarum eroſione,& omnium partium oris internarum vlcuſculis laborare ſolẽt, quiq; pectoris morbis cruciantur,dummodo hæc omnia fiant a fluxu materiæ veluti in catharro,orthopnæa, aſtmate,empiemate,& id genus alijs contingit,præſertim cum ſint illius generis, vt alijs remedijs non cedant. Conueniunt quoque in doloribus inueteratis ventriculi,abdominis,necnon in tumoribus hepatis:ſplenis, renum,in affectibus quoque veſicæ,vteri, atque ut vno verbo dicam in omnibus affectibus, qui a materia humidiori originem ducunt.Hoc tamen eſt perpetuo animaduertendum ne ſubſit aliquid quod prohibeat,cuiuſmodi eſſe poteſt vel cauſa, vel morbus, vel virtus quidem non merito ſpiritum, vt quidam exiſtimant, non carnoſi generis,ſed merito ſolidorum,& calidi innati:nõ merito quidem ſpirituũ, quoniam ſpiritus ſiue ſint vitales,ſiue animales nihil omnino ab huiuſmodi cauterijs patiuntur,& ratio eſt, quoniam ſpiritus quicũque ſint etiam ſi dicas naturales diſſipari non poſſunt niſi ob inſignem ſubſtantiæ ipſorum euacuationem, vel immoderatam viſcerum in quibus generantur intemperiem, vt docuit gal.in lib.de vtilit.reſp.vltimo. Sed cauteria non habent vim euacuandi ſpirituum ſubſtãtiam, neque viſcera in quibus generantur alterandi, à cauterijs itaque nullam prorſus noxam ſuſcipiunt:quod autem vim viſcera alterandi non habeant,manifeſtum eſt: quod vero neque euacuandi ex hoc patet, quando neque venæ,neque arteriæ,neque ſinus cordis,aut cerebri a quibus nunquam recedunt,nullo modo vi cauteriorum diſrumpantur. Præterea ſi cauteria vim haberent ſpirituũ ſubſtantiam diſſipandi omnes illi citiſſime interirent, qui quamplurima vulnera, & vlcera, & magna, & antiqua patiuntur:ſed in his:cum ſpiritus nihil omnino patiantur, niſi ex fluxu ſanguinis, vel ſinuũ cordis & cerebri dilatatione,nõ eſt dicendum virtutem merito ſpirituum cauteriorum vſum prohibere. Nec merito carnoſi generis; nam partis in quibus excitantur cauteria ſiue carnoſam ſiue excarnes exiſtant merito carnoſa nihil omnino patiuntur, nam etſi quãdoque dolẽt id merito neruoſi gene

Nota quæ prohibent cauteria

ris dolere putamus, virtus itaque merito carnosi generis cauteria prohibere non potest. Quod autem merito neruosi generis prohibere possit patet ex hoc quoniã sunt nõnulli adeo emaciati, & tendinosi, vt propter dolorem cauteria nullo modo sustinere valeant. Quod vero merito calidi innati idem præstare possit, declarant illi, qui sunt adeo ventrosi & vasti vt non sine labore deambulare possint, qui si quandoque excrementis ita scateant: vt periculũ sit ne hydrops subsequatur, cauendum est ne in cruribus cauteria inurantur, quẽadmodum iu plerisque fieri solet, etenim partes illæ quamuis suapte natura robustæ, debiles tamen ad vastum illud corpus deportandum meritò cauteriorum adhuc imbecilliores redduntur, vnde fiunt aptiores ad excrementa suscipienda, & facultas expultrix materiam ad partes subiecta natura procliuem ad imbecilliores protrudit, quo sæpe fit, vt copia materiæ eò confluente insitus calor qui suam custodiam desiderat, obruatur, vnde mirum non est, si inflammationes, & gangrenę interdum subsequantur, quẽ admodum etiã fieri solet, vbi cauteria fiunt in parte affecta, non ad materiam fluxam vel fluentem intercipiendam, quare in his corpulentis si scopum communem spectemus virtus merito caloris insiti vsum cauteriorum in cruribus prohibebit, sin determinatum nihil aliud erit quam morbus in magnitudine aucta, a morbo quoque dicimus prohiberi quo minus fiant, si forte fortuna in parte, in qua inurenda sunt cauteria adessent, vel vlcera, vel tumores, vel intemperies, vel aliquis huiusmodi affectus, ni forte vlcera incurabilia ad formam cauteriorum deducantur. A causa quoque vsum cauteriorum prohiberi arbitramur si dolor aliquis fuerit in parte inurenda, vel si fluxiones in eam partem fieri consueuere.

Quæ consideranda sunt in recta cauteriorum administratione. Cap. XVI.

CONSTAT itaque ex his quæ dicta sunt, quibus cauteria tuto administrari possunt, & in quibus non: superest vt de recta illorum administratione loquamur, quod nihil aliud est quam considerare quando agendum, quãtum, quo modo, & vbi, vt ea prætermittam à quibus, cum quibus, & circa quæ manuũ operationes adhibere sit necessariũ, de quibus etsi Gal. primo. de off. med. 6. & Hipp. locuti sunt, nos tamen nihil dicimus, cum hęc vnusquisque suapte ingenio facile cognoscere possit: at cognoscere quo tempore cauteria sint excitanda, quot, & quam ampla sint efficienda, quomodo, sint inurenda sub qua forma, & vbi admouenda non est viri imperiti, & in arte medica mediocriter versati, hoc enim docebit partis inurendæ continuitas non quidem per sui essentiam, sed per ea, quæ essentiã cõ comitantur, etenim cum illius essentia indicat remedium aperiens, & vnum ab vno tantum indicetur, rectam illius materiei administrationem indicare non potuit, quare confugiendum est ad ea, quæ ipsi essentiæ accidunt, quæ sunt illius prę sentia, vis resistentia, & existentia, quæ nec plura, nec pauciora esse potuerunt, nec debuerunt propterea quod cuti acidit, vt sui continuitate fluxus, seu exitus materiæ impediatur, & sic quodammodo cum materia egredienda pugnet & aduersus illam agat, accidit quoque vt cutis a materijs adurentibus patiatur, quæ cum neque agere, neque pati possit nisi præsens sit & ĩ corpore existat, ob id illius præsentia fuit necessaria, & quoniam omne quod existit alicubi existat sit necesse, hinc etiam factum est, vt locus fuerit considerandus.

Recta Vesicatorij & exustionis administratio. Cap. XVII.

CVM itaque in excitandis Cauterijs omnia hæc sint consideranda, atque de vesicatorijs primo loco sit nobis sermo habendus, videndum est, quo tẽpore, in qua quantitate, quo loco & quomodo sint excitanda, & loci proximi indicantis & indicati quæ minus sunt ex vsu ad indicantia & indicata quæ magis sunt vtilia confugere debemus, ne nimia loquendi proprietate & minuta quadam dicẽdi curiositate a Galeno de fract. 66. & 73. damnata rem totam obscuram & minus vtilem reddamus, sat enim fuit logicas quæstiones attigisse, in quibus diutius immorari non videtur medico admodum consentaneum.

DE TEMPORE AGENDI.

QVare si tempus spectemus quo vesicatoria sunt excitãda ad materiam in corpore peccantem est confugiendum atq; tunc temporis excitanda esse iudicabimus, quando materia vel sui copia vel praua qualitate, vel motu partes corporis vel principes vel ad vsum vitæ necessarias ita perturbabit, vt periculum sit, ne grauissimum aliquod malum, aut mors ipsa subsequetur, quẽadmodum in febribus putridis quandoque contingere solet, vbi materia vel cor, vel os ventriculi, vel caput vel aliquam huiusmodi partem petere solet, vnde praua & sæua symptomata contingunt, aut cum materia vel in capite, vel in pectore, vel in abdomine, vel in articulis, vel in alia quauis corporis parte existens per insensibiles meatus euacuari non potest, tunc enim ad vesicatoria confugere licet, nisi adsit quod prohibeat.

DE QVANTO.

QVo vero ad quantum agendum vidẽdum erit nunquid magna an parua bulla sit excitanda, nunquid vna an plures sint efficiendæ id quod monstrabit nis quam habet cutis continuitas ad exitum materiæ impediẽdum: etenim si materia fuerit ad eo copiosa vt exitum magnum & amplum desideret, vesicula magna erit efficienda, immo plures excitandæ dummodo nihil adsit quod impediat.

DE LOCO.

QVod si quæras locum vbi sunt applicanda hunc tibi mõstrabit materia euacuanda, etenim si materia in toto redundans ad caput ascendat vel ad cor proculdubio eiusmodi materia est euacuanda tum per reuulsionẽ, tum per deriuationem, si per reuulsionẽ euacuare volueris vlcuscula in cruribus sunt excitanda & supra talos, vt dolor quidam satis insignis cõtingat, in parte vero interiori vt minori cum molestia sustineantur: quod si per deriuationem in brachijs sex digitis transuersis supra carpum, quod brachiale appellant in parte interiori sunt affigenda, vt sine incommodo pulsus explorari seu obseruari posit, quo tempore fasciarum nodi si qua fuerit obligatio sunt relaxandi, vt de virtute

uitali

vitali certum iudicium fieri poſſit. At ſi materia ex partibus infernis ad os ventriculi repat, vel ad iecur, vel ad os uteri tunc per reuulſionem quoque euacuabitur, quare vlcuſcula non in brachiis, ſed in omnibus propè talos erunt excitanda, quod ſi materia non fluat ad partem, ſed iam fluxa ſit, & craſſior fuerit quàm vt per inſenſibiles meatus euacuari poſſit, tunc in parte affecta veſicatoria excitabis vel propè partem in loco ſi fieri poterit decliuiori, quare in affectibus capitis, vtpote in lethargo, in caro, comate, Epilepſia, Apoplexia & alijs huiuſmodi affectibus, cum malum cęteris remedijs non cedit, mundato corpore ſi fieri poteſt, & abraſo capite quamplurima veſicatoria commouebis in futuris capitis, in occipitio, & poſt aures, qua in re venæ ac tendines deuitentur, & præſertim ſi exuſtiones, quæ magis conuenire videntur, inurantur fieri quoque poſſunt in pectore, in Empyemate, in ſuſpirio & alijs id genus affectibus pectoris, vbi malum contumax eſt, & alijs medicamentis non cedit; ob affectus ſtomachi in ore ventriculi fieri poſſunt, in hydrope & doloribus colicis ſub vmbilico, ac tota fieri abdo minis regione, in inguine plura, ſed anguſta propter dolorem veſicæ, atque vt vno verbo dicam omnibus in locis affectis fieri poſſunt, vbi propoſitum eſt materiam iam fluxam euacuare, dummodo nihil adſit quod impediat, quamuis in huiuſmodi locis mihi magis placent exuſtiones quàm veſicatoria, quoniam ignis cum putredini reſiſtat partem affectam quodammodo robuſtiorem reddit.

DE MODO.

ET quoniam modum præſcribit cuticulæ reſiſtentia ob id materia cauſtica eo modo parabitur vt in cuticulam agere poſſit, quare hoc loco natura partis eſt diligenter conſideranda ne altius quam opus eſt vi cauterij recepta illæſas partes aut ſenſu exquiſito præditas, aut vaſa magna attingat: quare carnis habitudo erit expendenda, nam dura, denſa, ſenſu obtuſo prædita qualis ferè foſſoribus, nautis, agricolis, baiulis ineſt valentiora ferre poteſt, mitiora vero corpora, delicata magis, candida, mollia, qualia puerorum, ſpadonum, mulierum, & quorundam virorum effœminatorum. Cum itaque materia cauſtica in cuticulam agere debeat, danda eſt opera, vt cuticulam optime contangat, ipſique adhæreat, & calor innatus in pharmacum agat, vt vis ignea in eo ſopita ad actum deducatur, hoc autem facile conſequemur, ſi procurabimus, vt nihil vnctuoſum inter medicamentum, & cutim intercedat, quoniam quæ vnctuoſa ſunt non permittunt pharmaca cuti adhærere, locus itaque cui pharmaca ſunt admouenda ſpongia lixiuio, vel vino tepido albo expreſſa optime abluatur, ac detergatur, idque non modo ut ſordes, & vnctuoſitas illa deleatur, verum etiam vt ex frictione illa calor innatus excitatus vim cauſticam citius de potentia ad actum deducat, & ſi pili aderunt, ſunt abradendi, & locus nitro & aceto perfricandus donec rubeſcat. Verum quoniam omnis actio fit in tempore ob id pharmacum ita parari debet, vt virtutem diutius conſeruare poſsit, eiuſmodi autem fuerit, ſi craſſiuſcula illius ſubſtãtia fuerit: quo loco illud eſt animaduertendum ſi potentiſsimo ueſicatorio, ſeu excoriatorio vti uolueris, vt loco pharmaco refrigerante circunſcripto & munito ueſicatorium liquidius cum ſpatula illinas, & afficias, deinde interiecto ſpatio deradas rurſuſque pharmacum imponas: deinde vbi bis vel ter hoc feceris, rurſus impo-

nere tanta, locis illitis cum pelliculis inteſtinorum alicuius animalis inceteis & faſsicula ligatis. bulas obſeruabis etenim quamprimum excitantur pharmacum eſt detrahendum: quod ſi pharmaco craſsiuſculo & ſicciori vtaris tardius vim ſuam oſtendet, quare ne virtus illius latius ſerpat,quam par ſit,pharmacum illud vel cera rubra,vel nucali teſta munire debemus,& phœnicinum ceratum ſuperponere,ne huc vel illuc cauſticum dimoueatur, & quoniam propoſitum noſtrum eſt nedum bulas & ueſiculas excitare,verum etiam illas diutius conſeruare,ob id figuram ipſis orbicularem adhibebimus,quando ulcera orbicularia tardius ſanantur at bula iam excitata quod fit ſpatio decem aut duodecim horarum citius tardius pro maiori,uel minori vehementia pharmaci,& maiori, vel minori aptitudine paſsi (qua in re prudentia medici maxime deſideratur) tunc butiro braſica excepto, uel phœnicino bullas fouere debemus, neque tam cito eas diſrumpere, vbi vero diſrumpere volueris, fac ut cuticulam totam detrahas,nam etſi a ſubiecta cuticula non uideatur vndique ſeparata eo quia non ſit tota humore repleta, ſi tamen ipſam volſela ſeparare tentabis totam facillime detrahes, & cutim ſubiectam denudabis; Detracta cuticula ceratum ſacrum ,uel ſolum, uel cum quarta parte phœnicini permixtum admouebis, hoc enim vim habet attrahendi, neque ſui nimia ſiccitate, & caliditate permittit vlcuſculum illud ad cicatricem deduci,quòd ſi neque huius beneficio materia efflueret, ulcuſculum illud uel puluere Euphorbij,vel ſinapis,vel hellebori nigri ,uel etiam cantharidum, uel his ſeorſum,uel ſimul permixtis,uel alio aliquo huius generis puluere inſpergito, & ſic tandiu ulcuſculum detinebis,quandiu voles.

Cum uero ulcuſcula illa occludere, & ad cicatricem deducere volueris ſolum phœnicinum,uel unguentum de minio admouebis, vel aliquid aliud huiuſmodi quod uim habeat cicatricem inducendi.

Quòd ſi forte fortuna uſu cantharidum urinæ ardor ſubſequeretur, uel ſanguinis mictus, quemadmodum aliquando quamuis rarò contingere ſolet, huic malo ſuccurrendum eſt non ſolum appoſito butiro & inſeſsionibus ex lacte, uerum etiam ſi opus fuerit ex potu ſeri caprini ad lib. quatuor uel quinque cum lacte amig. dul. uel cum emulſione ſeminum melonum; uinum quoque paſſum conuenit additis nucleis pinis & cucumerum ſeminibus, ptiſana uel halica conuenit, nec non cibaria omnia unctuoſa, quæ cum multa malua ſint cocta, clyſteres quoque conueniunt ex decocto ſeminum lini, farri, hordei, maluarum fænugræci & ſimilium,ex quibus etiam emplaſtra parari poſſunt regioni ueſicæ,aut ulterius uiſceris,ſi qua perciperetur moleſtia admouenda. Ex quibus ſiquid moleſtiæ ab initio ſuccederet non eſt ob id timendum, nam poſtmodum multum proderunt dolores earum partium demulcendo & mitigando.

DE VSV EXVSTIONIS.

ET hæc de ueſicatorijs dicta ſint, quæ omnia cum exuſtionibus accommodari poſsint, nón eſt, ut in ijſdem repetendis fruſtra laboremus, quando hæc inſtrumẽta nulla alia ratione inter ſe differant niſi hac una quod ueſicatoria,ut ſupra diximus fiunt à materia ueſicas efficiẽte, Exuſtiones à materia actu

adurente,

adurente,& cruſtam inducente,in reliquis nullam,aut exiguum admodum ac nullum momenti diſcrimen apparet.

Recta ſetacci adminiſtratio. *Cap.* *XVIII.*

NVnc ſupereſt, vt loquamur de vſu cauteriorum,quæ ſetacca nuncupantur a ſetis, ex quibus olim fiebant funiculi ad cauteria aperta detinéda,nunc quidam illaqueationes appellant,ſed de nominibus non eſt diſputandum,videndum eſt itaque quo tempore,quo loco,in qua quantitate,& quomodo ſint adminiſtranda,qua in re breuitati ſtudentes,ne eadē ſæpius repetere videamur dicendum eſt eadem rectam ſetaccorum adminiſtrationem indicare,quæ & veſicatoriorū, quare eodem tempore ſunt adminiſtranda quo illa,quæ & in eadem quantitate, & in ijſdem locis adminiſtrarentur,niſi adeſſet aliquid, quod impediret. Cum itaque tria tantum ſint loca magis opprtuna, & vtilia,in quibus ſetacea perforari ſolent, ac poſſunt, non eſt vt in hac re multum laboremus; ſunt autem occipitium,ſerotum,& vmbilicus, memini etiam me vidiſſe ſuper os ſacrum ſetaceum fuiſſe perforatum; in occipitio quidem inter primam & ſecundam vertebram perforatur, ſed magis probamus vt inter ſecundam ac tertiam perforetur,quoniam ſi ibidem perforabitur non opus erit ligatura,quæ in futura coronali adnectitur, & nihilominus eandem conſequemur vtilitatem,fieri autem ſolent in occipitio ad reuellendam materiam illam, quam fluitad oculos, ad deriuandam illam,quæ ad os, ad pectus præcipitatur, ad intercipiendā illam, quæ ad ſpinam de labitur fieri ēt poſſunt in ſcroto ad euacuandam materiam, quæ in ipſo collecta eſt, in vmbilico vero cum intumeſcit ad euacuandam ſeroſitatem, quæ in hydrope intra peritonæum colligitur, ſupra ſpinam fieri poteſt,vt ſupra diximus, ſcio etiam fieri poſſe ſub mento, in pectore, & in quibuſdā alijs partibus corporis, ſed nedum tuto verumetiam cum iucunditate mederi debemus, quare cum hæc loca ſint minus congrua & apta ad ſetacca ſuſtinenda, ob id loco ſetaceorum fieri debent veſicatoria & Exuſtiones.

DE MODO.

Quomodo autem fieri debeant ſetacea ex hoc facile conſtat: ad ſit forceps, quam tenaculam uocant: atque ita ſit perforata, vt per foramina illa ſtilus acutus ferreus penetrare poſsit: margines vero forcipis ſint aliquantulum extantes, ne chirurgus ob timiditatem aliquando tremulus dum ſtilum candentem forcipi ad mouet extra foramen cum ſui dedecore,& patientis detrimento impellat: ſtillus vero non ſit ex ſimplici ferro, quoniam ui ignis excutiuntur ſquamæ, neque ex ſolo chalybe,quoniam propter ſui duritiē facile frāgitur,quare ſit ex ferro calybeato,ex qua materia ſi fiat hoc vnum eſt animaduertēdum ne aqua uel uiño,vel alio huiuſmodi humore extinguatur alioquin cera quaſi mollior reddetur. Stillus ſit craſsior, tenuiorue pro ſubiecta materia.Præter ſtilum & forcipem adſit funiculus ſericus ex altero capite aciculam habens ob longam ex ære laboratam, cuiuſmodi ſunt illi, quibus vtuntur mulieres ad veſtes adſtringendas & colligendas. His præparatis vbi ſetaceum facere volueris,ſi in occipitio tibi faciendum ſit da

operam

operam,vt caput in neutram partem inclinet,deinde atramento lineã per longitudinem vertebrarum colli ducito,mox sinistra manu cutim ita cõstringito, vt linea medium locũ obtineat, hoc enim modo setaceũ in media colli parte excitabitur, vbi cutim forcipe apprehenderis sinistra manu forcipem accipe,altera stillo cãdente per foramen forcipis cutem perforabis,deinde detracto stillo funiculum inserito,quòd si timebis ne sanguis erũpat, quod fieri solet,vbi stilus non est valde ignitus,tunc linteolũ dupplicatum posca expressum admoueto, sin minus,vel phœnicinum,vel brasicam cum butiro,& duobus,tribusue diebus bis in die permutabis: nam tertio die ad summum escara ita erit putrefacta,vt funiculum sine dolore quouis facile ducas,quibus peractis folium hederæ intra linteolum,vel intrapapyrum conclusum admouebis,bis terue in die pro fluxu materiæ, atq; ne medicamentũ, quod applicatur,siue sint folia,siue quiduis aliud excidat, triplici ligatura ligabis, cuius nodi sub mento connectantur, fiant autem ex chordulis sericis albis latitudine apicis duorum digitorum,atq; in ea parte,qua medicamentum comprimitur sit petia alba ex serico, & lino duplicata,& consuta eius latitudinis,quę sit satis ad medicamentum occultãdum,hæc autem petia chordulis ipsis sit cõsuta,atq; ita,ut chordula media sit cæteris latior,& sit illa,quæ medicamẽtum ipsum comprimat, aut ligatura simplex esse potest ex triplici tamẽ genere chordarũ conflata,quæ omnes in vnam coeant:aut simplex sit ligatura ex chorda vnica;sed latiori & robustiori.Si hoc modo deligabis non erit periculum, vt medicamenta, seu puluilli decidant,immo si vestium collaria erunt aliquantulum elatiora, neq; setaceum illud ab adstantibus obseruabitur:eodem modo in scroto,& vmbilico fieri potest;sed in vmbilico stilus non sit multo maior funiculo, vt foramen à funiculo apprime occludatur, immo necesse arbitramur,vt habeamus funiculum ex altera parte tenuiorem,ex altera crassiusculum,vt si quando serositas illa plus iusto egrederetur,parte funiculi crassiore foramen illud optime occluderetur.

Cum vero setaceũ illud ad cicatricẽ deducere volueris,detracto funiculo ceratum phęnicinũ,vel barbarum, vel minium,vel aliquid huiusmodi admouebis: et si magis exsiccare volueris,spongia noua aqua medicata expressa,vel lixiuio,vel vino albo cum exsiccantibus,& adstringentibus alterato locum affectum fouebis, ad cicatricem nanque deducitur, quemadmodum & alia vlcuscula deduci consueuerunt,& hęc de setaceis dicta sint.

Recta fonticulorum administratio. Cap. XIX.

POSTREMO de cauteriorum,qui fonticuli vocantur recta administratione dicturi,sciendum est,rectum horum cauteriorum vsum indicare, quæ,& aliorum,de quibus iam locuti fuimus.

DE TEMPORE.

Quare si de tempore loquamur,quo fieri debent,hoc vnum docebit præsentia continui ea ratione,qua exitum materiæ euacuandę impedit,verum non id solum, quod indicat spectare debemus; verum etiam videndum est, nũquid adsit aliquid, quod impediat;quod autem impedire potest, quominus hoc tempore fiant fonticuli

culi nihil aliud eſt, quam virtus debilis ſi communem ſcopum ſpectemus, vt ſupra diximus, ſin determinatum vel erit cauſa, vel morbus, at virtus debilis eſſe poteſt vel per ſe, & ſimpliciter, vel per aliud, & ſecundum quid, per ſe quidem, & ſimpliciter, cum pars illa, in qua cauterium excitandum, vel intemperie aliqua fuerit affecta, vel in ea calor inſitus fuerit imminutus, vel genus carnoſum ita fuerit conſumptũ, vt ſolida huiuſmodi foramen ſuſtinere nequeant: per aliud vero, ſeu ſecũdum quid virtutẽ debilem eſſe dicimus, ita vt pars illa cauterium non admittat, cum vel in proxima parte fuerit aliquis morbus vt ex g. ſi cauterium in crure dextro eſſet excitandum, & per eiuſdẽ cruris intumeſceret, vel in eodem crure eſsẽt vlcera, vel in ſura, vel prope talos, vel in alia parte proxima, tunc enim virtus illius partis, in qua eſſet inurendum cauterium: quamuis per ſe, & ſimpliciter robuſta videretur, ita vt cauterium ſuſtinere poſſet, nihilominus propter morbum in proxima parte exiſtentem debilis diceretur, quare periculũ eſſet, ſi cauteriũ excitaretur in eiuſmodi parte ne virtutis imbecillitate materia, & ſui põdere, & à natura propulſa in partes ſubiectas in maiori copia quam par ſit, & maiori cum impetu illaberetur, vi cuius calor inſitus obrutus extingueretur, & gangræna, vel aliquod huiuſmodi vitium ſubſequeretur: Vel alio modo virtutem debilem eſſe per accidens dicimus cum in toto redundat materia excrementitia, quoniam etſi virtus partis per ſe robuſta ſit neque ſit morbus aliquis in parte proxima, nihilominus quia in conformandis fonticulis fieri non poteſt, quin dolor aliquis excitetur, ob id virtutem labem aliquam pati non eſt dubitandum, & preſertim cũ in omni dolore, vt inquit Gal. Aph. 53. natura cãm doloris expellere properet, quoniã tunc neceſſe eſt, vt locus ille ſanguine, & ſpiritu repleatur, cum his tanquam inſtrumentis natura vtatur ad ea expellenda, quæ infeſtant, quod cum ita ſit, neceſſario quoque ſequitur vt vnà cum ſanguine ex urna illa, quæ etrudantur, excrementa, quare periculum eſt, ne virtus oblęſis, & viriatis propriis inſtrumentis tandem ſuccumbat, & grauiſſimi illi morbi iam dicti ſubſequantur, quare in emaciatis admodum partibus, vel intemperie affectis, & quibus proximi ſint morbi, & corpore humoribus exuberante, & pleno ventriculo non ſunt excitanda cauteria, quoniam ſi pleno ventriculo excitarẽtur propter timorem, vel dolorem fieri poſſet agitatio ciborum in ventriculo, vnde vapores excitarentur, quorum cauſa uel affecto corde firet lipothymia, vel affecto capite ſęua contingerent ſymptomata. Tandiu uero aperta erunt detinenda, quandiu opus fuerit, ut materia egrediatur, tandiu autem opus fuerit, quandiu præſens fuerit, & in corpore generabitur.

DE QVANTITATE.

Quod ſi de quãtitate fonticulorum loquamur, ſiue ſermo ſit de quantitate continua, ſiue de diſcreta, maiores vel minores; plures, vel pauciores pro exitu materię erunt inurendi, etenim ſi materia fuerit copioſa nedum maius foramen, verumetiam plures cloacas deſiderabit niſi fuerit aliquid quod impediat.

DE LOCO.

Vbi vero fonticuli ſit excitandi docebit exiſtentia continuitatis ea ratione, quã

impedit

impedit exitum opportunum materiæ euacuandæ, quare per quascunque partes materia ſui copia uel etiam qualitate peccans euacuationem deſiderabit, in iiſdem fonticuli erunt excitandi dummodo nihil adſit quod impediat, quod autē ſit quod impedire poſſit, iam ſæpius dictum eſt, vt in iiſdem repetendis non ſit immorandum. Cauteria itaque non omnibus in locis fieri poſſunt, vbi veſicatoria & exuſtiones, de his præſertim loquendo, qui non materiam fluxam, ſed fluentem reſpiciūt, quia vel virtus prohibet, vel ingrata & admodum incommoda eſſet huiuſmodi adminiſtratio, loca itaque in quibus commode fieri poſſunt, illa eſſe dicūtur, quæ a partibus neruoſis diſtant, quare neque in principio, neque in fine muſculorum propter tendones ſunt inurēda, ſed ꝓcul à principio quatuor ſaltem, aut quinque digitis tranſuerſis, atque in ijs locis vbi ligaturæ per belle accommodari poſſunt, cuiuſmodi ſunt partes prope genu, prope articulum humeri, occipitium, & ſutura coronali, quare ſi materia generabitur in iecore & petat caput, vt in melancholicis cum in parte dextra reſideat, cauterium in parte dextra erit affigendum: Cum vero moueatur ad caput in crure dextro, vt ad partem ignobiliorem & à nobilioribus ad longe diſtantem auocetur.

Quod ſi materia non caput, ſed crura, vel teſtes, vel vterum, vel aliquam aliam huiuſmodi partem peteret, non in crurib ſi utraque eſſent fluxionis ſubiectum, ſed gratia deriuationis, ac reuulſionis in brachio dextro cauterium eſſet in vrendum, quamuis hoc loco magis cōſentaneum eſſet uel per ſeceſſum, uel per urinā, uel per ſenſibilem & inſenſibilem totius corporis perſpirationem euacuationem hanc moliri, quoniam auertere materiam à partibus inferioribus ad ſuperiores nō uacat periculo. Cum interdum fieri poſſit ut materia illa partem aliquam nobiliorem aggrediatur. At ſi uitium aliquod fuerit in liene, cuius cauſa ibi materia aggregetur, in crure ſiniſtro cauterium excitabitur. Verum ſi materia in capite generaretur, cuius cauſa grauiora ſymptomata contingerent, neque ad locum remotū moueretur in occipitio, & in brachiis cauteria fieri poſſent in ea potiſſimum parte, in qua materia reſideret, tunc enim erit materia remedii deriuantis: at ſi moueretur ad oculos, tunc gratia reuulſionis, in occipitio maxime conueniret, nec non in brachiis gratia deriuationis: at ſi moueretur ad pulmones, ad dentes, ad gingiuas, ad palatum & in occipitio, & in ſutura coronali & in brachiis probè fieri poſſent: tunc enim eſſent inſtrumenta auxilii reuellētis, ac deriuantis materiam illam fluentem: ſi materia tandem à capite ad ſpinalem medullam, ad os ſacrum, ad lumbos conflueret, tunc cauterium in principio ſpinalis medullæ erit inurendum, uim enim habebit materiæ auxilii intercipientis, & hæc de loco in genere dicta ſint.

Quod ſi locum magis determinatum, & particularem quæras, & ſermo ſit de occipitio, illud fiat inter primā & ſecundam vertebrā, vel inter ſecundā & tertiam, quemadmodum de ſetaceo dictum eſt, quamuis in hoc loco ſetaceum mihi magis probatur; at ſi ſermo ſit de brachijs nedū locus ab articulis humerorū quatuor aut quinque digitis tranſuerſis diſtans erit eligendus, verum in parte potius interiori quam exteriori, dummodo ſeruetur progreſſus venarum vt ait Gal. in libro de natura hominis, quoniam locus ille commodior eſſe videtur, cum pars interior ab iniuriis eorum, quæ forinſecus accidere poſſunt ſit magis tuta, & in motu brachiorum minus patiatur, & ibi ſunt affigendi fonticuli, vbi muſculi

manifesto inter se Interstitio distinguuntur, modo nihil adsit quod impediat, cuiusmodi sunt tendones, super quibus excitare cauteria non conuenit.

Quod si de cruribus tandem loquamur idem locus prorsus seruandus est, qui & in brachijs, vt quattuor saltem digitis transuersis distet à genu, vbi musculi inter se manifesto interuallo distinguūtur, & in parte infra genu potius, quam supra dummodo nihil adsit, quod impediat, & ratio est, quoniam in ea parte ligaturę cōmodius fieri possunt, & cum cauteria facile descendant, si in parte superiori excitarentur ad articulum maximo cum incommodo appropinquarentur, & partē eiusdem cruris in hominibus exteriorem potius equitandi gratia, quam interiorem adamarem, in mulieribus vero, & præsertim ijs, quæ aut diminutos, aut suppressos habent menses, interiorem potius eligerem: nam præterquam quod ratio venatū haberetur, minori etiam cum incommodo huiusmodi cauteria sustinerent, & multo commodius si viro carerent.

afigetur cauterium in parte etiam interna

At si tibi affigendi sint fonticuli, vel in occipitio, vel in futura coronali, nō erit difficile obseruare locum, in occipitio quidem tibi monstrabunt locum, quæ de setaceo dicta sunt. Suturam vero coronalem te docebit vel motus cutis capitis, qui ex masticatione conspicitur, vel digitus medius patientis, si radice palmæ summo naso admota tota manus sursum extendatur, nam vbi digitus medius, suo apice cutim capitis attigerit, ibi futuram coronalem adesse putabis & hæc de loco dicta sufficiant.

De modo administ. Cauterij.

SVPEREST, vt de modo loquamur qua in re non modo considerabimus, quæ ad artem medicam; verum etiam quæ ad chirurgorum peritiam pertinet. Modus itaque administrandæ materiæ causticæ sumitur à resistentia cutis, quare hoc loco considerare debemus nedum temperaturam; verum etiam quæ temperaturam consequuntur, & quæ necessario accidunt veluti molities, durities, raritas & densitas: nam quo pars calidior, molior, & rarior fuerit, veluti est caro puerorum, mulierum, Spadonum, & id genus aliorum hominum, vt supra quoque diximus, eo etiam celerior in ea, & altior fiet impressio; contra vero in his, quæ carnem frigidam, densam, & duram habent, qualis obseruatur in rusticis, & in his, qui duriter vitam agunt: quare pro natura patris eiusdem etiam hominis leuior, vel grauior fiet inustio, & cum hāc vel igne actuali, vel potentiali imprimere possis, si materia, quæ actu adurit, vti volueris, tibi ratio habenda erit personæ, cui cauterium sit inurendum: nam si timida fuerit, veluti sunt nonnulli pueri, vel mulieres, aqua, vel oleo feruenti vti debebis, uel ramentis buxi, vel myrti summe excalfactis: ferro quoque candenti vti licebit, si tamen vel caput opperias, vel incautum igne opprimas: at si nulla ratione fieri poterit, vt ignem admittat, ad causticū est confugiendum, quod sub nomine vnguenti à quouis timido, & nullius animi non recusabitur: at si persona illa virili & forti animo extiterit, laudamus, vt igne potius, quàm caustico fonticulus excitetur.

Cum itaque cauterium tibi sit imprimendum vel in cruere, vel in brachio, loco iam quattuor digitis transuersis infra articulum in interstitio musculorum explorato, brachium, vel crura ita collocabis, vt figuram naturalem seu mediam, seu

indolent em

indolentem habeas,quibus peractis chirurgus peritus digitum loco inurendo admouebit,iubebitque vel pedem sursum,& deorsum moueri,uel cubitum flectere & extendere,in quibus motibus si sub digito tendo aliquis obseruabitur,vel os,locus ille non erit opportunus, quare locum alium hoc eodem modo explorabis, etsi in parte altera non inuenies,ad alteram,seu oppositam confugies. Quòd si cauterium in sutura coronali excitare volueris,abrasis capillis exustio ea ratione est facienda,vt etiam pericraneum in ea parte aufferatur,hoc enim modo dolorem euitabimus,& faciliter erit perspiratio. Loco itaque opportuno iam nacto obseruata membri figura naturali,attramento illum obsignabis; quo signato si actualem ignem admouere volueris, locum ferro quod suis margionibus constans pateat,in medio circunscribere oportet, atque tunc molli lana specilli nucleo alligata feruenti oleo,vel butiro intincta circunscriptum locum contangere potes,quod oleũ validius erit, si ex vitreolo,vel sulphure,uel antimonio fuerit extillatum: quòd si oleo vti volueris ferrum candens,vel argentum admouebis, nam etsi auro leuius inuritur,quia tamen illius candor non ita chirurgis notus est,quemadmodum auri chalcis, ob id ab illius vsu desistere potes, quo tamen si vti nolueris tunc ignitum aurum esse putabis, cum ferrum,cui affixum erit auri tuberculum ruborem, seu candorem contraxisse videbis.

De Crustam, seu Escharam detrahentibus quare de putrefacientibus & putredine.

LOco itaque inusto magis & minus pro natura partis ita tamen vt cutim nedum cuticulam attigisse videaris. Crusta siue eschara est tibi detrahenda absque dolore,& inflammatione,quod vt cõsequaris,communia instrumenta capillaria, necnon propagines illæ tenues raræ,& ægre conspicuæ,quæ ex subiectis partibus ad cutim porriguntur,merito quarum cutis carni subiectæ inhæret, & arcte copulatur, vt putrescant, est necesse, quoniam si crustam cum violentia detrahere uolueris,dolorem & proinde inflammationem excitabis: vt verò corpuscula illa citius putrescant,confugiendum erit ad illa,quæ apta nata sunt putredinem excitare,quo loco animaduertendum est,nos non de putredine naturali,& proprie dicta sermonem habere; sed de putredine improprie dicta,quæ,vt inquit Gal. 2. de rat. victus 44. communi nomine concoctio appellari potest; etenim si hanc consideramus vt fit à calore extraneo corrumpente proprium calorem, & quod putrescit, non potest amplius in substantiam partis commutari,putredo nominabitur,improprie tamen: quoniam etsi calor natiuus in huiusmodi putredine absumatur,remanet tamen calor secundum naturam, vi cuius humidum, quod est secundum naturam continetur: nam ad hoc vt fiat putredo naturalis, & proprie dicta,necesse est,vt terminans à terminato vincatur: hoc est,humidũ elementare à sico elementari,vt ait Arist. 4. meteo. 2. ex quo sequitur terra & fimus: vnde duo potissimum in hac putredine desiderantur, quorũ alterum est, vt spiritus innatus,seu calidum innatum eius,quod putrescit, si viuit, penitus absumatur: alterum verò est,vt calida temperies,quam humidum elementare inducit,& cõtinet & ipsa deleatur,vt tandem terminans a terminato vincatur, & quod putrescit fiat fimus & cinis; quorum omnium causa efficiens est calor externus: quòd si hoc

verum eſt, obiter quoque inferre debemus ad coctionem celebrandam duplicem calorem deſiderari nempe in natum, & elementarem, & hoc eſt illud, quod fortaſſe voluit philoſophus 4. meteo. 3. dum dixit coctionem fieri a naturali & proprio calido hoc eſt à temperatura plurimum adiuuante calido elemento, quam temperaturam proprium calorem appellauit, hoc etiam confirmatur à Gal. 3. de ſymp. cauſis primo eum inquit ventriculi coctionem fieri à temperatura coadiuuante plurimum calido elemento, qui duo calores in quolibet mixto, ſi actionem illius ſpectemus obſeruari poſſunt, etiam ſi dicas metalla. Verum ex his duobus inſtrumentis quodnam ſit præcipuum: quamuis ex dictis pateat latius tamen de his in præludijs anatomicis diſputabitur. Ex his itaque ſatis conſtat nos de putredine naturali ſermonem non habere, ſed de illa putredine, quæ quodammodo etiam concoctio nominari poteſt, vt inquit Gal. 2. de rat. vict. 44. in qua temperies calida non ita vincitur ab ambiente calore, quin à ſpiritu inſcito partis ſubiectæ adiuta non poſſit humidam temperiem, ſeu humidum elementare continere, qua in re quo magis calida temperies adiuuabitur à ſpiritu inſito, materia illa, quæ putreſcit magis exornabitur, & pus optimum euadet album conſiſtens quam minime fœtidum, lene tangenti, & ex omni parte ſibi ſimile, vt voluit Gal. primo de diff. feb. 6. & 1. prog. 42. quo vero minus adiuuabitur propter caloris, ſeu ſpiritus inſiti imbecillitatem, materia, quæ putreſcit, minus exornabitur, vt interdum etiã cruda nominari poſſit, quare huiuſmodi putredines inter ſe differunt ſecundum magis & minus, ſed hic non eſt locus. Sat eſt nobis cognouiſſe ad putredinem celebrandam, quæ ad concoctionem proxime accedit, & cuius cauſa cito detrahitur eſchara quattuor potiſſimum deſiderari, nempe calorem externum tanquam cauſam efficientem; obiectum id quod agere debet ſemiuitiatnm, calorem ſeu ſpiritum inſitum robuſtum, vt pus optimum conſequamur, & vim quandam deterſoriam, quibus cognitis non erit difficile inueſtigare medicamenta ſiue ſint ſimplicia, ſiue compoſita, quæ vim habeant detergendi, & putrefaciendi, ſeu illa coadiuuandi, quæ apta nata ſunt putredinem optimam excitare, nam quemadmodum alterationes naturales, quæ ab inſito calore proueniunt à ſimili extrinſeco coadiuuantur, pari modo, & quæ in pure mouendo conſpiciuntur, à ſui ſimilibus plurimum adiuuari eſt exiſtimandum.

Quare vt Cruſta illa, ſiue Eſchara iam inuſta & impreſſa marceſcat, & detrahatur cum ſicca ſit, erit humectanda, caliditas externa erit adiuuanda, calor inſitus roborandus, & leuis quædã deterſio adhibenda: huius generis medicamenta quam plurima extãt & parari poſſunt, etenim habemus butirum vetuſtum, quod ſi cum mulſa & modico farinæ triticeæ permiſceatur, vel cum modico fermenti erit maxime accommodatum, cum humidum moderate calidum emplaſticum & deterſorium exiſtat, quemadmodum docet Gal. 4. ſimp. 17. 11. ſimp. cap. de ping. & adipe. 5. ſimp. 9. ſui namq; humiditate cruſtam emollit, & moderata caliditate igneã caliditatem adiuuabit, vt facilius humiditas partium ſubiectarum à centro ad circunferentiam auocetur, ſua ui emplaſtica perſpirationem prohibebit, ex qua prohibita perſpiratione duo conſequimur, quorum alterum eſt, ut caliditas illa præternaturalis magis adaugeatur, vel ſaltem ſi qua eſt conſeruetur, & calor innatus, qui ſurſum & deorſum continuo mouetur, non ita facile diſsipetur ſecum humidum natiuum auocando, ſed potius adaugeatur, & roboretur, de cuius natura la-

tius i n

tius in præludijs anatomicis : postremo ui detersoria, quam merito mulsæ obtinuit crustam illam iam putridam amouebit.

Neque est quod quispiam nobis obiiciat non eam fuisse Galen. sententiam in escharis detrahendis,ut pus mouētibus vteremur,cū in hūc vsum ipse 6.Meth.6. vsurpare consueuerit medicamenta cephalica, quæ vim habent detergendi & exsiccandi,ueluti est Iris illyrica,erui, seu Orobi farina ex arte parata, manna thuris, aristolochia,cortex radicis panacis,apium,ocymum,acorum,& mel, siue mulsa,& propterea etiam Isis cum melle,& id genus alia multa: quoniam siquis diligenter obseruabit dicta Galen.videbit Galenum de crustis illis detrahendis sermonem habere, quæ,vel ad supprimendum sanguinem e uasorum erosionibus erumpentem,vel ad putridam carnem submouendam sunt accommodatæ veluti in gangrænis,Cancris, Spacelis,& in ijs vlceribus,quæ ad pudenda pertinent, aut ad partes oris internas,quæ tum propter naturalem humiditatem,tum quod excrementorū sunt canales,vt inquit Gal.2.ad gla.96.per loca.2.1.Meth.4. putrescunt quo loco tantum abest,ut humida conueniant,vt si qua sit humiditas pro viribus sit auferenda,vnde Gal.ijs medicamentis, quæ vim habent crustam eximendi,ea quoque permiscebat interdum,quæ vim habent crustam excitandi. At sermo noster est de crustis non in carne molli,sed in cute dura,non in parte putrida,sed in loco sano factis,& proinde summa cum difficultate eximendis, præterea institutum nostrum est, foramen,siue vlcusculum excitare, non autem partem affectam sanare, quare vt hoc cito,tuto,& iucunde fiat,ad putrefacientia debemus confugere,alioquin si exsiccantibus progrederemur,nequaquam vlcus efficeretur.

Materia putrefacientes.

CVM itaque putrefacientia maxime conueniant vti poterimus, vel simplici butiro vetusto tamē, nam butirum cum suapte natura temperatum sit vt inquit Gal. 4.simp. 17. 11.simp.de ping. 5.simp.9. sui tamen vetustate caliditatem quandam contrahit,vel emplastrum parabitur hoc modo.

Recipe farinæ triticeæ vnc.ij.decocti caricarum ping. mel. communis an. q. s. misce & fiat emplast.secundum artem quod si dolor excitabitur his addas oui vitellum recens: præter hæc conuenit diachilon simplex cum butiro uetusto, & melle emollitum, vel phœnicinum diapalma vocatum eodem modo remolitum, eandem uim habet cataplasma ex farina frumenti, decorticati caricarum pinguium, adipe porcino uetusto sine sale, & modico mulsæ, his & similibus, quorum silua est magna vti poterimus ad crustas eximendas, quibus ij sdem vti licebit in escharis illis detrahendis, quæ vi materiæ causticæ, seu ignis potentialis inductæ fuerint ; sed prius solis putrefacientibus erit agendum, deinde ubi caro putrida à subiecta carne sana separabitur, detergentia erunt permiscenda : postremo loco detracta eschara detergentia, & exsiccantia erunt administranda.

Eschara itaque si ferro candente fuerit inusta ex impositione supradictorum medicamentorum extrahatur, bis autem in die medicamenta renouari possunt. Crusta detracta,quod spatio tridui,uel quatridui ad summum fieri potest,si cutis

optime exusta fuerit, & caro nuda sese nobis ostendat, tūc linteolis in medio perforatis (ἔκκοπα Græci vocant) vlcusculum illud est circunscribendum, deinde pillula ex medulla sambucci est conformanda, quæ cum sit mollis, blanda, & quouis modo tractari possit, si comprimatur, atque supra vlcusculum compressa, & butiro illita collocetur, ac ita statuatur, vt loco dimoueri non possit, folijs vero braficæ, vel hederæ butiro quoque illitis foueatur, chartaque lusoria vnà cum linteolo duplicato comprimatur, & fascia colligetur, hoc vnum continget, vt ob illius pillulæ mollitiem, ac leuitatem, nullus excitetur dolor, ob vtriusque materiæ humiditatē ita imbibatur pillula illa, vt sensim adaugeatur, quæ cum ob chartæ lusoriæ compressionem resurgere nequeat, quàm citissime vlcusculum cauum efficietur, quod si loco chartæ lamina, vel argenti, vel aurichalci, vel alterius materiæ capiatur, maior adhuc fiet compressio, ex qua si dolor contingeret, tunc solis puluinis cōpressio illa erit tentanda, quòd si loco medullæ sambuci fiat glebulus ex cera, vel granum viciæ primo capiatur: deinde ciceris non improbamus, hoc enim modo progrediendum est, donec foramen perfecte fuerit absolutum.

Vlcere quantùm satis est excauato, emotis abiectis aut ambra, aut globulo ex cera cum puluere, vel rhab. vel agarici, vel helleb. nigri pro qualitate materiæ peccantis, vel ligno hederæ parato, uel galerus rotundus ex argento elaboratus pluribus in locis perforatus, & spongia minutim concisa repletus in foramine cōtinuo gestabitur, si foramen in ea latitudine & altitudine permanere uolueris, quod si latius, & altius amabis, nihil erit accommodatius, quam globulus ex medulla sambuci, aut melicæ, globulo iam imposito tunc folia hederæ intra linteolum duplicatum, uel loco hederæ chartam sorbilllam applicare debes, cui puluinus, uel charta lusoria, uel lamina superponatur, ut fiat compressio, bis autem in die, & sępius pro fluxu materiæ, & petias & folia immutabis, neque globulus ille est in dies extrahendus, est enim necesse, ut locum sibi comparet, unde non facile excidat, & nonihil humiditatis in cauterio relinquatur, ut illius acredine natura proritetur, ad cuius motum humores facilius accurrunt: quare sat erit si semel in die circunuoluatur: præsertim si ex cera fuerit compactus.

Verum si escaram medicamentis causticis, seu igne potentiali imprimere uolueris, locum spongia tepida expressa fouebis, atque tandiu fricabis, donec locus inurendus rubescat: deinde leuioribus quibusdam scrificationibus (si fieri potest) adhibitis litera o pharmaco phænicino, uel ex cerusa illito, & in medio perforato partes circumiacentes munias, etenim propter scrificationes causticum citius uim suam imprimet, qua impressa si patiens ipse fuerit importunus, illico caro siderata & emortua excidatur, & pillula imponatur, ui. n. spatio duarum, uel trium horarum cauterium factum esse uidebitur, at si naturæ beneficium expectare uolueris, absque inflammationis periculo tunc excisa portiuncula carnis medicamentum hoc erit admouendum. Recipe butiri uetusti unc. j. farinæ frumenti unc. ij. mel communis, uel mulsæ unc. 5. decocti caricarum pinguium quantum sufficit, misce, & fiat empl. secundum artem, uel butiri loco uti potes oleo cum Gal. 3 per loca 2. & ad gla. 7. uel alio modo parari pōt, ut recipe farinæ triticeæ unc. ij. mulsæ unc. 5. hydrælei, hoc est aquæ communis cum oleo communi permixtæ, uel decocti altheæ, & maluarum cum oleo amygdalarum dulcium, uel seminum lini quantum sufficit, misce, & fiat serup. secundū artem, quòd si emplastris hisce ad-

drac. ʒ.croci nihil præterea defiderabitur. Item cum Gal.4.meth.5. fieri etiam po teſt,& promptius,hoc modo.

Recipe panis frumenti ſubtiliſſime pnluerizati vnc. i.

vitel ouorum drac. 3. mulſæ vnc. ʒ. croci vnc. ʒ. hydrælei q. ʒ. miſce & fiat ſcrup. ſemis emplaſtris craſſiuſcule adminiſtratis tandem erit agendum, quandiu vide-bis putridam, & cōbuſtam carnem a ſubiecta carne iam ſeparari & humorē quen-dam ichoroſum effluere, tunc enim prædictis medicamentis nonnihil mellis vel mulſæ adiunges,& bis in die mutabis emplaſtrum, donec eſchara tota fuerit detra cta quo tempore a putrefacientibus eſt abſtinendum, & detergentibus atque ex-ſiccantibus eſt agendum quare laudamus vt fiat medicamentum ex farina hordei, mannæ thuris & lixiuio ex cinere ficus vel mali parato, vel ſtipitis fabarum, vel erui quemadmodum docet Galenus 4.ſimp.3. nam pro qualitate materiæ, quæ a-duritur lixiuium magis vel minus calidum ſiccans & deterſorium efficitur, præ-ſcribatur itaque hoc modo,

Recipe farinæ hordei vel erui vnc. ʒ.
Mannę thuris drach. i i.

lixiuij ſtillatiuij ex cinere ficus vel alterius materiæ q. ʒ. miſce & fiat linimētuum, quod ſi loco huius vtaris vel vnguento ex betonica vel Iſide pro temperatura par-tis non erit præter rationem, quare vbi hæc medicamenta adminiſtrare volueris, globulum ex linamentis excerptis paratum in medio vlceris admouebis, atque ne loco recedat filamentis vel ex linimento illo, vel ex vnguento betonicæ vel Iſidis illitis munies & firmabis ſuperpoſito pharmaco phænicino,in cuius medio ſit fo-ramen ad amplitudinem illius globuli vt materia commode effluere poſſit, cui fo lium hederæ ſuperpones,deinde puluinum, & tandem deligabis, & hāc rationem m edicandi obſeruabis donec caro ex omni parte ita ſuccreuerit, vt elegans foramē inmedio ſit conformatum, in quo globolus erit imponendus eius materiæ, quæ tibi magis opportuna videbitur, atque vt cutis calloſa regeneretur ſi opus eſſe vi-debitur cum vnguento betonicæ, vel aliquo ex ſupradictis ea permiſcebis, quæ vim habeant magis exſiccandi, inter quæ potiſſimum laudatur æs vſtum lotum in maiori vel minori quantitate, prout natura partis ſubiecta poſtulabit. Cute rege-nerata, vel potius callo circiter obducto eodem modo cauterium tractabis,quo di ximus illud eſſe tractandum,quod ſit cum ferro candente vel igne actuali.

Cauteria non poßunt ſpatio bidui vel tridui, vt quidam aſſerunt conformari,
Cap. X X.

SED hoc loco non poſſum ſubticere nonnullorum hominum audaciam, ne dicam temeritatem, qui audent aſſerere quodcunque cauterium in quocunq; corpore, & in quauis corporis parte excitatum ſpatio bidui aut tridui ad ſummū ita abſolui poſſe,vt nullum amplius ornamentum in eo deſideretur,& quod peius eſt,reperiuntur etiam viri in arte medica conſumatiſſimi, qui ad pauca reſpicien-tes in eandem opinionem facile deſcendunt:dicunt enim, vt ſuam hanc opinionē alioquin experientia repugnantem tueantur fieri poſſe, vt reperiantur medica-menta tantæ actiuitatis, vt ſpatio tridui id commode præſtare poſſint, quæ medi-camenta cū ſint nobis ignota,alijs vero nota, mirū non eſſe ſi quod nobis.

esse videtur, illis facile succedat. At si quæras ab illis, qui nam sint illi qui matetias has ita excellentes habeanr, & qui hoc præstare possint, respondent alij se id audiuisse a viris fide dignis, alij vero dicunt chirurgos hos esse mortuos.

Sed videamus nos nunquid ratio ipsa hoc pati possit, postquam experientia nō comprobatur, atque vt primum de Cauterijs illis verba faciam, qui ferro candente, vel alia huiusmodi materia parantur, nulli dubium est, ab his instrumentis crustam seu escharam excitari, quæ vel violentia, vel absque violentia eximi potest. Ommitto Galeni authoritatem, qui suadet vim non esse inferendam, quando rationem habemus paratam, etenim si violentia eximatur proculdubio dolor excitabitur, ad cuius motum acueret sanguis & spiritus, vnde inflammatio, quare hæc nimia diligentia erit summa cùm detrimento patientis ignorantia, & quamuis foramen aliquo modo spatio tridui apparere possit, cauterium tamen non erit absolutum, neque cutis exusta erit sublata, neque materia effluet, tunc enim cauteriū perfectum & absolutum esse arbitramur: quando iam fluit materia sine dolore & inflammatione, & solis folijs hederæ vel charta sorbilla tractari & gubernari potest, alioquin etiam spatio vnius horæ fieri posset. Crusta itaque sine violentia est dtrrahenda, vt autem sine violentia detrahatur putrefacientibus & detergentibus est agendum, hæc autem citius & tardius agunt pro natura partis subiectæ, vt dictum est, quare quibusdam & in quibusdam partibus spatio bidui, quibusdam tridui, quibusdam etiam quatridui excidere solet: at crusta detracta est ne ob id absolutum & perfectum cauterium? quis est, qui hoc dicat? nonne vlcusculum est excauandum, quod neque cum violentia fieri debet, ne subsequatur inflammatio, quare spatio bidui, aut tridui hoc fieri est necesse, vt tuto, & cum iucunditate succedat curatio.

Quòd si loquamur de his, quæ caustico parantur, quibus videnrur isti facile opinionem suam probare posse, tantum abest vt spatio tridui fieri possint, vt etiam multo tardius absoluantur quam illa, quę igne actuali parantur, demus enim repe riri posse causticum tātę actiuitatis, vt nedum calorem natiuum extinguat, verum etiam humidum, & callidum elementare ita absumat, vt caro ipsa in fimum & cinerem conuertatur, quo quidem medicamento non potest dari generosius vllum, & quod magis est, demus etiam id fieri posse spatio vnius horæ, vel duarum horarum, est ne ob id asserendum cauterium absolui posse spatio tridui? nemo certe sanæ mentis audebit hoc confirmare, & ratio est, quoniam virtus medicamenti non æque agit in omnes partes subiectas, sed intensius in proximas, remissius in remo tas, etenim quo magis distat obiectum ab agente: eo debilior actio contingit, in ijs præsertim, quorum actio fit per contractum, ex quo sequitur vt etiam si cutis & caro proxima cuti in fimum & cinerem mutaretur, carnem tamen huic proximā & subiectam ob distantiam, & vim medicamenti iam debilitatam in cinetem com mutari non posse: quamuis calore natiuo destitueretur, & multo minus quæ huic subijcitur, vt tandem ad carnem putridam sit deueniendum, cui sana omnino subijciatur, et hæreat: quód nam erit hoc medicamētum tam diuinum & singulare, quod spatio tridui separationem hanc moliri queat, & præsertim in corporibus duris? Nullum certe reperiri potest; nam si septicis calidioribus vtamur nō solum carnem putridam ab integra non separabimus, sed integram & incorruptam corrumpemus, quare huiusmodi medicamentis non est agendum: Neque gammoide

gladiolo ſeparatio hæc fieri poteſt,quoniam cū medicamentum, ſeu cauſticum citius agat in partes ſanguineas & molliores quam in ſpermaticas, & duriores & ſpermaticæ per carnem ſint diſtributæ, ac diſſeminatæ perfecta ſeparatio abſq; inſigni & acerbiſſimo dolore tentari nedum perfici poteſt, totum itaque opus hoc facultati naturali velint,nolint eſt committendum quēadmodum & generatio carnis,quod cum merito temperaturæ tāquam præcipuo organo plurimum adiuuante calido innato perficiat, ijs medicamentis vti oportebit, quæ calorem natiuum adiuuare poſſunt,qualia ſunt illa, quæ ſupra diximus,quę cum ita ſe habeant,quis eſt ille,qui vnquam viderit naturam ſpatio bidui,aut tridui ſeparationem hāc præſtitiſſe, neque ſi dicas in corporibus & corporis partibus mollioribus ac tenellis, quare ſtatuendum eſt cauteria nō prius perfici poſſe, quam ſpatio ſex,aut octo dierum in tenellis & mollioribus, in paulo uero durioribus octo, vel decē dierum, in duris frigidis, & ſi vis non minori quam duodecim aut quattuordecim dierum, dummodo tuto, & iucunde curare ſtudeamus: quod ſi negotium tibi fuerit cum auaris importunis & pellē aſininam habentibus, & hi ferrum candens admittant exuſtione altius impreſſa prędicto ſeu prænunciato doloris, ac inflammationis periculo,illico globulum ex cera, vel granum vitiæ cum butiro & melle admouebis,ceratoq; phænicino firmabis;atque iubebis, vt bis in die butirum cum melle admixtum admoueant,donec vlcuſculum fuerit conformatū,atq; prout res ipſa poſtulabit globulū illum in dies magis vſque ad iuſtam magnitudinem adaugebis, quod ſi ferrum ignitum non admittet, locum cauterizandum aqua tepida diu multūq; fouebis, & fricabis donec rubedo aliqua contrahatur, qua contracta & præmiſſa leui ſcrificatione cauſticū potentiſſimum abhibebis,qua facta exuſtione illico aut carnem mortuam perforabis, ita vt per foramen filum diducas,deinde acu detracto altera manu apprehenſo filo altera gammoide,vel alio inſtrumento inciſorio,carnem illam ſideratam,& ſenſus prorſus expertem circuncides, ita vt foramen aliquod efficias, in quo globulum cum butiro melle impoſitum eodem cerato phænicino,ne loco recedat, obfirmabis;iubebiſq; hoc modo eſſe agēdum, donec tota caro putrida decidat,& à ſana ſeparetur,ſic enim facile patienti perſuadebis vnica hora cauterium fuiſſe abſolutum, & apud ipſum maximam tibi laudē comparabis.

De his quæ cauterijs ſuperuenire ſolent. Cap. XXI.

IAM ſupereſt,vt de ijs loquamur,quę cauterijs contingere ſolent non ſolum dum fiunt, verum etiam poſtquam facta ſunt, hæc autem ſunt dolores,inflammationes, & quæ inflammationibus quandoque ſuperueniūt, excoriationes; Excreſcentiæ carnis, calloſitates, ſiccitates,& loco dimotiones,atq; de iis loquemur quātum propoſito noſtro facere videtur,quoniam de iiſdem alias fuſius,& ſumma cum diligētia diſputabimus.

De Dolore. Cap. XXII.

DE dolore itaq; vt prius loquamur, ſciendum eſt,cum dolor quilibet fiat à ſolutione continui,hanc in cauteriis ipſis, quemadmodum etiam in aliis partib. corporis fieri vel a cauſa externa vel ab interna, ſi ab externa ſolum,ex remotio

ne illius causæ facile sedatur dolor,quare si ob globuli nimiam crassitiem partes subiectæ contundantur,crassitie illa imminuta,vel pillula ex molliori materia parata,cuiusmodi sunt fila,dolor mitigabitur. Qđsi a cā interna soluatur continuū, vel erit materia vel sui copia & qualitate peccabit, vel sui qualitate tm̄, (loquimur.n. de particulari dolore) si a sola qualitate fiat solutio cōtinui statuendū est ferrè semp a frigiditate excitari, q̄uis dolor si loquamur in genere,ab omnibus qualitatibus fieri possit: prȩterquam ab humiditate,quēadmodum fusius declarabimus in doctrina de solutione cōtinui.

Huic aūt incōmodo vt occurramus,dāda erit opa, vt tpe hyberno locus ipse & lana & pellib, uel alia hmōi materia optime muniatur,alioqn si vim aeris frigidioris patietur p̄ter solutionē cōtinui,q̄ ob adstrictionē & carnis densitatē humidū exprimentē cōtingit,materia quoq; excrementitia,q̄ cōtinuo eo cōfluit,siue sit vaporosa,siue humorosa non euacuabit,vnde merito materiæ partes circumiacentes extensȩ & solutionē cōtinui patientes,dolorē incredibilē sustinebūt, quare q̄tum fieri potest sunt muniendæ,& a frigore vindicādæ,vt ab hmōi molestia p̄seruent. Qđ si iam dolore afficiant duo sunt nobis scopi absoluendi, quorū alterū est, vt partē frigidā calefaciamus,quare calefacientib.& humectātib.erit agendū, q̄ vt cōsequamur, nihil aptius esse iudicamus cū Gal.xj.simp.c.de Castoreo & 5.simp. 5.quam usus balnei seu fotus aquȩdulcis. In qua materia administrāda duo sūt nobis obseruāda, quorū alterū est, ut aqua sit tēperatissima ; alterū uero ut larga & copiosa sit illius perfusio,tēperatissimā quidē esse oportet ; quoniā iucūdissima cū sit calorem innatum,seu naturā ad explicandam se, atq; ad dulcedinē,quam præstat,quoquo uersus extendendam prouocat; quòd si ab illa temperie recederet, & propterea calidior,aut frigidior existeret ob suam iucunditatem calor in natus, ut inquit gal.7.meth. 5. recederet,atque in profundum refugeret: quoniam ex offendētium contactu stiparentur, constringerentur, ac densarentur.corpora,tenuesque eorum meatus cogerentur. Diximus autem largam & multam esse oportere aquæ perfusionem,quoniam si locum paucioribus perfusionibus foueamus, non solum materiam,si qua fluxa fuerit,discutiemus,uerum etiam sanguis,qui in ea parte continetur diffunditur,& sic pars illa in maiorem tumorem attollitur, unde maior extensio,solutio continui,& acerbiores dolores subsequuntur, quorum motu noua fit attractio;at si larga fuerit perfusio ; quamuis pars affecta in maiorem tumorem ob humorum diffensionem attollatur nihilominus Gal. 3. de off. med. 16. paulo post,si in eadem perfusione persistes, humores discuti uidebis, ad quorum discussionem tumor ille attenuabitur; ac desidet,quare dicebat Gal.2.de sanit. tuen. 7.& cum eo Hipp. si calidum infundas primum, quidem corpus intumescit,si largius infundas, decumbit & contrahitur,aquæ itaque dulcis tepidæ perfusio maxime conuenit etiam si præter frigidam qualitatem adsit materia, cum uim habeat calefaciendi, humectandi, & ob id relaxādi necnon humores attenuandi, quòd si loco aquæ uinum usurpabis, nihil accommodatius esse uidebitur, quibus si ol. cōmune uel amig.dul.admisceas multo magis humectabis,ex quorum humectatione lenietur dolor;nam sicut illa,quȩ uim habent uniendi,& partes,quȩ soluuntur, coeundi dolorem lenire dicuntur, qualia sunt omnia,quæ uim habent humectandi.In huiusmodi itaq; doloribus ex frigiditate aeris excitatis, medicamētum iam propositum erit maxime accomodatum, quod bis in die pro necessitate admini-

strabis

ſtrabis:ſed poſt aquæ perfuſionem probamus,vt pars ipſa inũgatur hydreleo,quod paratur ex aqua,oleo,ex ſeminibus lini,vel amig.dul.& tertia vel quarta parte ceræ ad formam linimenti,quòd ſi loco hydrelei vſurpabis æneleum, quod factum ſit ex vino albo dulci,mihi magis placebit:deinde loco perunćto pars tota ab iniquitate acris lana ſuccida optime carminata vindicetur.

De Inflammatione. Cap. XXIII.

AT ſi dolor non a ſimplici qualitate fuerit excitatus,ſed huic quoque materia fuerit copulata:hæc vt plurimum ſolet eſſe ſanguinea, vnde inflammationes oboriuntur,quibus niſi opportuna,& accommodata remedia adhibeantur,quandoque in abſceſſus, interdum in Gangrænas degenerant: at quandoque contingit etiam ut cum ſanguine permixtum ſit aliquid materiæ bilioſæ, aut pituitoſæ aut melancholicæ,quare non ab re fore iudicauimus, ſi quædam a nobis proponerentur,quæ ad arcendas huiuſmodi inflammationes eſſent accommodata. Si quando igitur euenerit,ut materia ſanguinea ad partes cauterium obſidentes confluat, ſiue ſit attracta, ſiue tranſmiſſa, cuius cauſa ſpatia omnia ſanguine repleantur ex uaſis ipſis per tunicas reſudante, & in omni carnis particula more roris per mixto, tunc quatuor tempora ſunt nobis conſideranda principium,augmentum, ſtatus,& declinatio.In principio quidem quoniam pars affecta ſanguinolenta ſubſtantia repletur,videndum erit nunquid inflammatio ſit magna,an parua;nam ſi parua fuerit,& corpus ſatis mundum videatur, reprimentibus,& proinde refrigerantibus & adſtringentibus ſtatim erit agendum,dummodo citra vehementem adſtrictionem id prę ſtare valeant,etenim quæ ualde adſtringunt, frigiditatem ſuam alte demittere nequeunt,propterea quod cutim cogunt,& coarctant,huiuſmodi autem medicamentum fuerit,ſi paretur ex cera alba quam optime lota, & oleo roſ. completo, quòd ut magis penetret,optimum erit, ut ſit ol.tenuium partium cuiuſmodi eſt patauinum, quod pedibus exprimitur, aut corcyrenſe,quòd ſi non aderit huiuſmodi oleum, arte paretur in eo incoquendo in duplici uaſe,quæ uim habent attenuandi abſque inſigni caliditate ueluti ſunt capparis tum ſemina tum radices,braſica,beta,ſemina & radices aſparag.brioniæ quoque utriuſque tum germina tum radices, & quæcunque ſunt huius generis,Cera itaque cum oleo mixta in duplici vaſe liquentur,hoc autem poſtquam fuerit refrigeratum in mortario tãtisper agitabis aquam inſtillando,dum cum ea portione, quam ſuſcipere poteſt, optime commiſceatur. Quòd ſi frigidius deſiderabis; præterquam quod aqua,quæ huic admiſcetur, debet eſſe frigidiſſima cum modice coiuerit,totum uas,in quo continetur in aquam frigidiſſimam coniicies huius loco habemus vnguentum roſatum vnguentum de ceruſa & cum camphora & ſine camphora, linimentum ſimplex, & quæcunque eandem habent uirtutem;ad hoc vnum animaduertas,ne rancida,vetuſta, putridaue exiſtant,quare candida ſint oportet.Quòd ſi Emplaſtrum amabis, fiat ex ſemper uiuo,& corticibus malorum punicorum,vel ex foliis & puluere roſarum in vino tenui decoctis & farina hordei; vel loco vini quandoque ſerum, interdum lac uſurpare licebit,quibus etiam pro maiori uel minori dolore uel oui uitellum vel integrum ouum admiſcebis, hæc, & alia huiuſmodi mille medicamenta cõponere licet,quare unum uel alterum tibi ſubiecisse nobis ſufficiet,quod futurum tibi

ſit

ſit & monumentum,& exemplum eius,quæ in alijs eſt facultatis,quibus vtendum eſt omnino, dummodo pars affecta non admodum doleat; nam ſi cum inſigni dolore fluxus contingeret,caue ne aquam calidam,oleumue ſimplex,aut farinæ triticeæ cataplaſmata adhibeas, hæc enim omnia quamuis aſtmaticis affectionibus aliquid prodeſſe uideantur:plurimum tamen aduerſati putamus, quare vrgente dolore ſatis eſt doloris vehementiam mitigare, aut aliquo ex his,quæ dicta ſunt, aut ſi magis placebit, cum his, quæ ex vino albo dulci,vel paſſulato, vel ſapa, & oleo roſaceo,& parua cera conficiuntur, veluti ſi hoc modo præſcribatur. Recipe vini albi dulcis, vel paſſulati, vel ſapæ ol.roſ.an.unc.j.ceræ albæ cum aqua roſacea lotæ vnc.5.drac.3. miſce & fiat ceratum liquidũ,hoc lanis humidis bene carminatis excipe,& æſtate quidem frigidum,hyeme vero calidum admoueto:quòd ſi cataplaſma præſcribere volueris,fiat hoc modo. Recipe mucilaginis lentis, arnogloſſi ſeu plantaginis an.vnc.3.panis antopyri,ſeu ſyncomiſti ſubtiliſſime pulverizati vnc.4. ol.roſacei tantundem m. pro cataplaſmate,cui etiam ſi ouum integrum addas non erit præter rationem: atque vt inhibeatur fluxus materiæ paulo ſupra patienté particulam ſpongiam vel petiam ex lino vino acerbo, aut aqua frigida,vel potius poſca expreſſam apponito. Lenito dolore vbi nullum puris ſignum ſe oſtenderit ad liquida Emplaſtra ſuperius propoſita, & fluxionibus accommodata eſt refugiendum, cuiuſmodi etiam fuerit ſi paretur ex oleo roſaceo & chalcitide combuſta & in ſubtiliſſimum pollinem redacta, quibus ſi lanam mundam vino acerbo madefactam exterius appoſueris,multo plus iuueris.

At ſi inflammatio inſignis extiterit, & corpus impurum videatur antequam ad ſola reprimentia confugias, laudamus ut prius ſanguis euacuetur,modo nihil ad ſit quod prohibeat,& quoniam huiuſmodi inflammationes ſolent contingere potiſſimum in cruribus & brachijs, ob id vbicunque fuerint, ſemper per oppoſitas differentias & venas communes reuellendo euacuabis, quare ſi fuerit in crure dextro venam cubiti dextri,vel interiorem vel communem ſecabis, ſin in ſiniſtro ſiniſtri, vel pedem oppoſitum ſcarificabis eo modo quo paſſim docet Gal. & Anthillus abſque cucurbitulis, atque vt ſanguis facilius & in maiori copia extrahatur, crus ſub genu deligabis & pedem patientis in aqua tepida detinebit, chirurgus vero ſeu barbitonſor, ſi quando ſanguis in inciſionibus concreuerit,ita ut fluxus impediatur,deterget. Quod ſi in brachio dextro inflammatio fuerit, uenam pedis dextri,vel cubiti ſiniſtri pertundes,ſin in ſiniſtro,oppoſitas differentias ſemper adibebis,de quibus ſuperius ſatis ſuperque locuti ſumus.Sanguine euacuato tunc propoſita remedia adminiſtrabis.

Cum vero ſanguinis fluxus iam ceſſaſſe uidebitur, neque ob id locus affectus ad ſtatum naturalem redeat ſed quod in particula inflammatione obſeſſa continetur iam putrefieri cęperit,tunc calor quidem ob putredinem naſcitur, & propter calorem magis funditur ſanguis, vnde ſpiritus quoque ſeu flatus generatur, & ob hæc ambo particula magis quam antea diſtenditur, etiam ſi nihil confluat, quo tempore cum inflammatio in augmento eſſe dicatur, alia medicationis ratio erit inſtituenda,tunc enim,& ex ſiccantibus & refrigerantibus liquidis tamen aduerſus putredinem,& calorem pugnabimus,& quod in ſpiritum iam fuerit diffuſum,diſcutiemus & mediocriter adſtringentibus calorem natiuum roborabimus, quare ad cataplaſma ex lente confugiemus,& loco panis farinam hordaceam vſurpabimus,

pabimus, & nonnihil aceti, vel vini penetrationis attenuationis, & exficcationis gratia permiſcebimus, vel oximel ipſum.

At ſi ſanguis in pus iam uertatur, quod ex maximis doloribus facile cognoſcitur, cum in generatione puris dolores, febreſque magis, quam iam facta infeſtant, tunc inflammatio erit in vigore, quare multo magis putredini erit reſiſtendum; Exicatio itaque, refrigeratio, uentilatio, & ſemiputridorum concoctio vt voluit Gal. 11. Meth. 13. eſſent neceſſaria, quare cataplaſma hoc modo præſcribetur. Recipe mucilaginis arnogioſſi ſeu plantag. lentis an. onc. 1. farinæ orobi, vel lolij, vel fabarum onc. 4. oximel. onc. 2. ſapam ſeu hepſematis, vel ſirei (idem enim eſt) quantum ſufficit, miſce, & fiat cataplaſma ſecundum artem ſatis molle, hoc enim loco ſapam vſurpamus: quoniam etſi ſuapte natura exiguam vim habeat attenuandi, vt ait Gal. in lib. de attenuante victus ratione 2. cum oximellite tamen commixta multo maiorem uim conſequitur, & maximam uim habet ſedandi dolorem.

Sin autem fluor, qui ſuppuratur, uel digeritur minorem tumorem, & tēſionem reddat, tunc declinationis principium erit dicendum, quo tempore diſcuſſoria magis conueniunt, quare Emplaſtrum hoc modo fieri licebit. vt inquit Gal. 6. per loca primo. Recipe panis ſyncomiſti in ſubtiliſſimum pollinem redactione 4. farinæ lini vel fenugræci onc. 1. & ſemis onc. 15. decoctionis caricarum, vel aquæ mulſæ, in qua origanum, aut hyſſopus ſit decoctus quantum ſufficit, miſce, & fiat Emplaſtrum ſecundum artem.

Quod ſi ſolo caricarum decocto, vel furfurum, vel aquę mulſæ, in qua origanū, vel hyſſopus, aut thimus, aut calamintha, aut puleguim, aut quid huiuſmodi fuerit incoctum uti uolucris, hoc lana ſuccida bene carminata excipito, & prout res ipſa poſtulabit patienti loco applicabis.

Quod ſi hæc magis diſcuſſoria efficere uolueris, diutius incoquantur, vt etiam ad nitri ſpumam, ad nitrum uſtum, ad ſulphur viuum quandoque deſcendere liceat, quare in inflammationibus à repulſorijs ad diſcuſſoria paulatim eſt tranſeundum, in principijs itaq; adſtringens qualitas præualebit, in augmento adſtringētis, diſcutientis, mitigatoriæ, laxatoriæ & concoquentis qualitatis parratio erit ſeruanda.

In vigore mitigatoria, concoctoria dominabitur.

In declinatione diſcuſſoria: ſed de his copioſius alias ſi Deus dabit, diſputabimus. Hæc itaq; medicationis ratio ineunda, vbi de abſceſſu nulla eſt dubitatio, neque vlla alia materia fuerit ſanguini copulata, etenim ſi materia bilioſa, vel pituitoſa, vel melancolica ſanguini eſſet iniuncta, quemadmodum plerunque contingere ſolet, tunc mixta curatio eſſet adhibenda: ſemperque illi, quod magis ſuperat, erit reſiſtendum, non prætermiſſa tamen nec ea, quæ ex admixto pręſtato faciendorum indicatione.

De Phlegmone Eryſipelaceo. Cap. XXIIII.

SI contingat itaque vt materia bilioſa ſit cum ſanguine commixta, pars affecta non erit ita rubra, vt in ſimplici phlegmone, ſed palliditatem quandam, vel flauitiem rubedo ipſa redolebit, neque pulſatio erit ita vehemens, nam etſi ſanguis obſui craſſitiem ima petat, bilis tamen obſui tenuitatem per carnoſa raraq; corpo-

ra, vſque ad cutim deuolat, quare ſicut ſanguis cutis aliquid apprehendit, ita bilis aliquid ſubiectæ carnes accupat, immo ſi acrior & craſsior ſit ſummam cuticulam excoriat & ſpatio temporis ad profundum cutis exulceratio peruenit: Verum de huiuſmodi excoriationibus paulo poſt dicemus, cum etiam a materia ſalſa fieri poſsit: Cum itaque materia hæc bilioſa fuerit cum ſanguine coniuncta vel ſanguinem ſuperabit, vel ab eodem ſuperabitur. Si ſuprabitur curatio parum aut nihil a ſuperiori diſtabit, quare ſi parua fuerit inflammatio Eryſipelacea iniecto acri clyſtere particulam ipſam refrigerabis clyſtere autem parabitur hoc modo.

Recipe fol. maluatum
violatum } an. man. 1.
mercurialis

aquæ communis lib. 3.

miſce & fiat ebulitio ad conſumptionem tertiæ vel dimidæ partis, & facta expreſſione.

Recipe prædictæ decoctionis lib. 1.
ſucci betarum vel mercurialis onc. 3.
olec. de ſucco roſ. drac. 3.
oui uitellum
ſalis } drac. 3.

miſ. pro clyſtere, quo iniecto & facibus eductis locum affectum refrigerabis, cuius refrigerationis terminus ſit ipſa coloris mutatio, vbi vero colorem mutari videbis, à refrigerantibus & adſtringentibus ad contraria tranſibis priuſquam cutis vel liuida, vel nigra prorſus reddatur, quare ſi refrigerare volueris a propoſitis ſuperius medicamentis non eſt recedendum, immo ſi dolor vigebit ſat erit decoctum hordei, & maluarum adminiſtrare atque medicamenta hæc hyberno tempore tepida, æſtiuo uero frigida ſunt imponenda, quæ dum exſiccantur, ſunt renouanda, immo ſit tempore hyemis loco linteoli lanam ſuccidam optime carminatam acciperes, non eſſet præter rationem ſi uero inflammatio fuerit inſignis, antequam ad reprimentia deſcendas ſanguinem vt ſupra diximus detrahes dummodo nihil adſit quod impediat.

De Ebryſipelate Phlegmonode. *Cap.* XXV.

QVOD ſi materia bilioſa ſuperabit & Eryſipelas phlegmonodes paruum fuerit, ſat erit iniecto clyſtere ſupradicto, vel conſimili particulam ipſam paulo audacius refrigerare, quare medicamentum hoc præſcribatur.

Recipe ſemperuiui
portulacæ } an. man. 1.
lactucæ

aquæ fontis lib. 4.

miſce & fiat decoctio ſecundum artem, hanc linteolo excipe, vel lana ſuccida ſi frigus vigebit, & parti affectæ admoueto, idque ſi non admodum inſignis fuerit dolor, quod ſi dolor magis vigebit huiuſmodi Emplaſtrum non improbarem.

Recipe ſeri lactis vaccini, vel decocti hordei lib. 1.

decocti

decocti mal. } lib.5.
farinæ hordei } an.lib.5.
panis tritici ad leuorem redacti.
m.& fiat Emplastrum secundum artem,cui deinde adde ouorum vitellos.n.2. quod si addas carnis pomorum dul. sub cineribus coctorum on. 2. multo magis sedabit dolorem, Calore iam & dolore aliquantis per remisso id quod ex relatione patientis & mutatione coloris dignoscitur, antequam pars liuida fiat uti oportebit cataplasmate, quod parabitur ex his,quæ vim habent mediocriter refrigerandi, attenuandi & exiccandi, quare si pars ipsa ad naturalem statum non fuerit deducta medicamentum adhibeatur ex farina hordacea & uino subadstringenti paratum.

Verum si Erysipelas hoc fuerit insigne, & corpus immundum extiterit non solum sanguis erit euacuandus, verum etiam medicamentum, quod bilem trahat corpus ipsum purgabitur,deinde ad proposita refrigerantia tutius confugies, non enim verebatur Gal.huiusmodi soluentia in principio vrgente necessitate exhibere,quare si opus fuerit ita præscribatur.

Recipe rhab.el.drac.1.& semis.
decocti fruct.q.5.fiat infusio secundum artem deinde exprime & adde.
sy. rof.sol. | an.onc.2.
mannæ el.
m.& fiat potio breuis,quòd si bolo magis delectabitur præscribatur hoc modo.
Recipe flo.cass.no.ex. onc.1.
pul.rhab. drac.5.
mannæ el. drac.3.
seminum citri mundat drac.1.
misce & cum sacaro fiat bol. dosis maior vel minor præscribatur pro rei necessitate.

Purgato corpore in administrandis refrigerantibus summa cautio erit adhibenda ne locus liuidus, aut niger reddatur. Quòd si iam nimis refrigeratus esset locus, id quod ex liuore & negredine cognoscitur non amplius Erysipelas,sed scirrhus potius erit dicendus, quare incisa cute per scarificationes cataplasma calefaciens & exsiccans superponendum erit si tamen locus parua aqua communi tepida, vel marina, vel muria plurimum perfundatur. Capiatur itaque cerati ros.onc. 2.Calcis viuæ onc.1. & simul misceantur, aut huius loco adhibeatur ceratum ex calce,quod in vsu esse solet.

De Phlegmone adematode. *Cap. XXVI.*

AT si cum materia sanguinea iuncta fuerit materia pituitosa, neque color erit ita ruber, neque dolor adeo intensus,immo hæc vtraque aliquantulum erunt remissa,atque prout maior vel minor fuerit copia materiæ pituitosæ, maior quoque uel minor erit remissio, quare si sanguis præualebit vt inflammatio ædematosa sit dicenda hæc uel erit pauca, uel magna, si parua fuerit iniecto clystere, sanguinis aliquid si opus fuerit euacuabitur, dummodo nihil adsit, quod impediat, quod perpetuo in administratione cuiuscunque materiæ obseruandum

est clystere autem parabitur hoc modo.

Recipe fol. maluarum.
betarum
mercurialis. } an. man. 1.

violarum aquæ communis lib. 3. misce & fiat decoctio secundum artem. Recipe prædictę decoctionis lib. 1. mel. ros simp. vnc. 3. ell. lenit. drac. 6. ol. communis vnc. 3. oui vitellum salis scrop. 1. & semis misce pro clystere: verum si qua fuerit vermium suspicio butirum olei loco vsurpabis, & horum omnium maior vel minor quãtitas capiatur prout necessitas materiæ peccantis postulabit, & virtus patientis sustinebit, quo clystere iniecto, & fecibus eductis, sanguis euacuabitur, atq; in ea quantitate detrahetur, quam uitium sanguinis vi sua demonstrabit, & virtus patietur, cuius robur aut imbecillitatem nobis significabit temperatura, & aer, nec non ea, quæ his cognata sunt & familiaria, veluti ætas, vitæ institutum, regio, cœli status, anni tempus & id genus alia, de quibus copiosius in doctrina de missione sanguinis. Detracto sanguine paulo supra laborantem particulam ad fluxionem inhibendam linteolum posca, hoc est aqua cum modico aceti permixta expressum admouebis, cuius aquæ temperatura talis existat, qualem quispiam bibere possit, particulæ vero patienti largam aquæ fontis tepidæ perfusionem administrabis, qua præmissa laudamus, ut hordei & maluarum decocto, in quo aliquid sit aceti, vel uini spongia noua, vel lana lota, vel potius gossypium mollissimum, quod Gal. 13. meth. 6. 14. meth. 4. ac 3. de temp. 2. elychnion vocat expressum admoueatur & pro mollitie partis plus minusve decocti admisceatur; etenim in principio inflammationis nec non in mollioribus corporibus plus decocti minus aceti est permiscendum vt voluit Gal. 2. ad gla. 3. Vbi vero affectio progressa fuerit, & in robustis ac duram pellem habentibus, ut quæ ad primam spongiæ appositionem non iuuantur plus aceti admiscebis, ita tamen, vt non multum supradictum excedat. Spongiam vero, vel aliam huiusmodi materiam deligabis ab inferiore parte incipiens & supra finiens ut monuit Gal. 14. meth. 4. Verum si insignis esset inflammatio, atque dolor vrgeret, statim aluo per clysterem exonerata, & sanguine euacuato ad ea, quæ uim habent sedandi dolorem, qualia supra descripsimus confugies: Sedato dolore ijs curatio erit absoluenda, quæ vim habent attenuandi, incidendi, laxandi, & discutiendi, quæ autem sint hęc, superius satis, superque diximus, vt eadem non sint toties repetenda.

De Oedemate Phlegmonoso. *Cap. XXVII.*

QVOD si materia pituitosa sanguinem superabit vt ædema phlegmonode vocari possit, atque tumor sit exiguus, ac fere indolens, præmisso clystere quã de supra diximus ad materiam attenuandam, incidendam & discutiendã totum studium erit conferendum, quoniam ob materiæ humiditatem cutem satis laxam esse putamus, laudamus itaque ut parti affectæ applicetur spongia noua, uel si talis non adsit, vsitata lauetur cum nitro vel lixiuio, quæ conca stactæ idest lixiuium destillatum nominatur, uel cum aqua marina, uel thermarum, vel huius loco, quod & melius est, capiatur elychnium superius propositum, quæ spongia, uel elychnium sit pusca expressum ita tamen, vt semper ratio partis habeatur, quæ

nobis

nobis significabit facilitatem, uel difficultatem materiæ resoluendæ.

At si tumor fuerit insignis purgato corpore ijs, quę uim habent materiam pituitosam educendi, topicis tuto vti licebit, purgans medicamētum hoc modo præscribatur. Recip. mel. ros sol. on. v. decocti betonicæ, boraginis & drac. agarici trocis q. s. misce & fiat potio breuis. Mundato corpore spongia, uel aliqua alia ex supradictis materia in pusca madefacta tibi passionem sedabit: quæ si non sedabitur, tunc adijciendum est aliquid, quod vim medicamenti adaugeat, ueluti si paretur lixiuium ex cineribus vitis, atque in eo origanum, hyssopum, radices altheæ & fol. mal. incoquantur, cui deinde addatur nonnihil aceti, & salis, hoc enim medicamentum erit magis potens, quod si prædictis addas radices cucumeris asinini uel dracontij, adhuc generosius erit, qua in re illud perpetuo memoriæ mandare debes, ne in ijs medicamentis tantum insistas, quæ vim habent maximam tum attrahendi, tum dirigendi, quoniam etsi pauci primis diebus egregie processisse curatio uideatur, nihilominus quod de affectu restabit, id erit insanabile, siquidem toto, quod in eo tenuium partium erat digesto, quod reliquum est veluti lapidosa concretio liquetur, quare qui aquis sulphureis solum utuntur, sępe proprium finē vt frustrentur est necesse quod si in his vel maluam, vel altheam, vel fenu græcum, vel semina lini incoquas, nihil erit præstantius, his enim & huiusmodi aliis tumorem hunc discuti posse putamus.

De Phlegmone Scirrhoso. Cap. XXVIII.

SI denique sanguis melancholicus cum simplici sanguine misceatur, quod ex nigro ueluti colore duritie, ac renitentia dignoscitur, tunc sanguis melancholicus, uel superabit, uel superabitur, si superabitur, Phlegmon scirrhodes appellabitur, huius materia cum sit sanguis optimus cum humore melancholico, & proptetrea crasso, & viscoso coniunctus, videndum erit vt in reliquis, nunquid inflammatio magna ne sit, an parua: quandoquidem si pauca fuerit, præmisso clystere si opus esse videbitur, sanguinem euacuabis dummodo uirtus sit robusta, rectam illam materierum administrationem adhibendo, quam uitium sanguinis consequentia demonstrabunt, deinde ad repellentia, refrigerantia, digerentia ac dissipan tia confugies, repellentia paulo supra patientem particulam applicabis, quorum exempla superius fuere proposita, inter quæ numeratur etiam vnguentum, quod paratur ex bolo armena, sanguine draconis, ol. ros. vel myrtino, aceto & oui albumine, at patienti loco eiusmodi emplastrum admouebis. Recipe lentis vnc. 3. radicis altheæ vnc. j.

fol. maluarum } an. m.
meliloti }

aquæ fontis q. s. misce & decoquantur secundum artem, deinde. Recipe prædictorum mucilaginis lib. s. panis syncomicti subtilissime puluerizati tantundem decocti prædictorum q. s. misce & fiat emplastrum, cui adde aceti acerrimi vnc. 1. idq; penetrationis & exsiccationis gratia, quod si dolor vrgeret, anodyna prius administrabis, imo prædicto emplastro sapam iniunges.

Verum si magna fuerit inflammatio & uirtus sit constans, aluo exonerata statim sanguinem detrahes, vt localia tutius administrare possis. At si fluxio iam consti-

-erit, neque materia illa fluxa cedat medicamentis, & per summa cutis tẽsio valida sese ostendat, eo quia locus affectus sit sanguine repletus, quo difficulter suppuretur, neque facile ob sui tenacitatem discutiatur tunc non resoluentibus solũ, sed sedato prius dolore si acerbissimus fuerit, multis scarificationibus erit agendum, ita tamen administratis, ut copiosus sanguis ex iis destillet, ac effluat, qui ut facilius effluere possit antequam ad scarificationes accedas prius partem ipsam spongia aqua tepida expressa diu fouere debet, vt sanguis ille crasus, ac veluti concretus attenuetur fundatur, & fluxilis reddatur, deinde scarificationes non ualde tenues, & in superficie tantum excitatas administrabis, neque adeo longas & profundas, vt an modeliquium afferant, sed quæ medium in longitudine, & latitudine teneant locum, ex his enim sanguis copiosus minori cum molestia euacuabitur, & præsertim si membrum in parte superiori deligabis, vt monuit erasistratus referente Gal. in lib. de venæ sectione aduersus erasist. cap. 1. Vbi sanguis fuerit euacuatus tunc applicabis cataplasma, quod parabitur hoc modo. Recipe caricarum pinguium ac dulcium gladio perforatarum nu. 15. aquæ communis lib. 3. misce & fiat ebulitio lento igne donec aqua melli tenui substantia simillima reddatur. Recipe huius aquæ lib. 1. panis syncomisti ad leuorem redacti q. s. misce & fiat cataplasma, quod si validiorem resolutionem desiderabis cum caricis adde hyssopum, uel origanum, etsi adhuc magis exsiccare volueris sales decoctioni adiicias, his si placebit adde radicem cucumeris agrestis, aut brioniæ, aut assari. Conueniunt quoque adipes ueluti anserinus, galinaceus, suillus, nec non medullæ qualis est vituli, vel suis salita, & vetusta, quæ sunt necessaria, cum ualide exsiccare volueris, nisi enim humectaueris, & induratos tumores emollieris partibus tenuioribus resolutis, quod relinquitur indurabis; quare emollientia commisceamus oportet, ne tumores in scirros hos cõuertantur, hoc autem sæpe inculcamus, quia in hoc chirurgos, & presertim empyricos plurimum peccare videmus.

De Scirrho Phlegmonoso. Cap. XXIX.

AT si humor melancholicus prævalebit, quod ex intensiori nigritiæ, duritiæ, & minori dolore cognoscitur, tunc scirrhus phlegmonodes nominabitur in cuius curatione ita progrediendum est, vt si exiguus sit tumor iniecto clystere si opus fuerit ad localia confugias, quæ calorem habeant tepidum, & humiditatem nec multam, nec minimam, vt medicamentum uim habeat dissoluendi, moderatè quidem exsiccando, & enim corpus induratum simile quid pati debet a medicamento, quale patiuntur ea, quæ sub sole funduntur, ut docuit Gal. 2. ad Gla. 4. quare pars affecta prius oleo anethino tepidiori perfusa hoc emplastro foueatur.

Recipe muccaginis seminis lini, caricarum pinguium } an. vnc. 3.
medullæ vitulinæ, adipis anseris } an. vnc. 2.
ol. anethini, ossa cei } an. vnc. 1.
panis syncomisti subtilissime pulueritati farinæ orobi an. libr. s. arti aceti vnc. 1.

decocti

decocti prædicti cui additum sit etiam si opus fuerit nonnihil hyssopi, aut radicis dracontij q. 5. misce & fiat emplast. secundum artem: quod si ceratum amabis fiat hoc modo.

Recipe vnguenti dialtheæ
rosacei } an. vnc. 1.

misce, hoc enim plurimum proderit in principio ad reprimendum discutiendũ, & mediocriter exsiccandum.

Quòd si passio illa esset insignis, & virtus robusta præmissa sanguinis euacuatione prædictis medicamentis vti debes, & si opus fuerit emollientibus ualidioribus præter mucilagines seminis lini, altheæ, maluarum, meliloti addere potes nonnihil bdelij, ammoniaci in aceto dissoluti, galb. nec non ol. amig. dul. liliorum, glandis unguentariæ, œsipi, atque emplastrum lana succida excipere: habemus quoque oxæleom ceratum, quod si cum diachilone magno commisceatur ad quadruplam quantitatem curationis scopos attinges huius generis multa quoque proponit Gal. 6. per genera 14. & 16. 3. per loca 2.

At si tumor ad supputationem uenerit cauendum est ab his, quæ uim habent in signem calefaciendi, ne particula irritetur, quoniam facile fieri posset, vt cancer oboriretur. Verum si nullus adesset fluxus, neque quod impactum est discuti posset, neque ad supputationem veniret ad scarificationes supradictas erit confugiendum, adhibitis deinde propositis remedijs sperandum est tumorem hunc delitescere posse.

De Abscessu. Cap. XXX.

SI vero omnes huiusmodi inflammationes abscederent quod contingit vt inquit Gal. 2. ad gla. 7. 14. meth. 12. & 2. de off. med. 25. vbi corpora quæ prius se contingebant ob aliquam substantiam interiectam inter se distant, quod cum fit inquit Gale. l. de tumore cap. 7. rigores, horrores & dolores concomitantur, quare incipiente abscessu in superficie cutis, præmissa corporis euacuatione si opus fuerit per ea, quæ dolorem sedant & cutim relaxant curatio est instituenda, quare larga perfusio & fotus aquæ dulcis tepidæ maxime conuenire videntur, quibus administratis uidendum erit nunquid materia iam congesta discuti ac dissipari possit, quare laxantibus discutientibus, & adstringentibus erit agendum, hic moderate adstringentia proposuimus, quoniam quæ sine adstringentibus discutiunt, ualidiora quidem sunt, sed non perinde tuta, sæpe namque fluxiones mouent & attrahunt dum corpus, quod curatur, immundum est, & quoniam pleraque huiusmodi existunt, ideo tutius repellentia commiscebis ut monuit Gal. 5. per genera 5. & 3. in 3. de vulg. morb. 76. qualia vero debeant esse huiusmodi medicamenta iam satis superque antea dictum est. Si uero hosce tumores resoluere posse desperaueris ad suppurantia te conuertas oportet, cuiusmodi erunt emplastra ex farina triticea aqua communi, & oleo communi, quæ simul moderate ebulierint, uel ex farina iã dicta cum caricarum decocto & oleo, præmissa aquæ calidæ adspersione, materia itaque congesta, & iam in pus conuersa sui dignotionem præbet manifestã, quippe quæ cedit prementibus digitis, neque resistit, quemadmodum in membris inflammatis, ex quo tactu cognoscitur etiam nunquid humores sint tenues an crassi, te-

naces & mucosi, quare proprietas, seu quantitas tensionis & cessionis in vnoquoq; abscessu est diligenter obseruanda, & memoria tenenda: vbi ergo materia iam suppurata fuerit, ne sua acredine abrasa vti quàm citissime erumpat, vel emplastro, vel scalpello locum aperies in parte decliui si fieri potest ne materia retineatur, nõ enim incisionem tardare debes: præsertim si dolor fuerit insignis, aut siqua fuerit suspicio ne materia illa praua & venefica qualitate sit affecta, quoniam periculum est ne ob diutinam moram adhuc deterior, ac veluti deleteria fiat, & prauam sui qualitatem cum patientis detrimẽto ac morte alicui parti nobiliori communicet, quemadmodum in quodam nobili patauino superioribus annis contigisse arbitror: at si nullus aut exiguus admodum esset dolor & materia congesta esset benigna, non existimamus apertionem prius esse moliendam, quam tota materia maturuerit ut docuit Gal. 2. de off. med. 30. nam si intus manebit quæ cepit suppurari, fiet, vt reliqua cruda ei melior, faciliorque accedat.

De sinu. Cap. XXXI.

CVM itaque tumorem aperire uolueris, & patiens ferrum non admittat, quãuis hoc tutius existat, tunc medicamentum disrumpens applicabis cuiusmodi sunt omnia caustica superius proposita, quare pro crassitie vel tenuitate cutis nunc leuioribus nũc validioribus erit agendum, inter leuiora laudabat Aui, quod fit ex stercore columbino semine lini, & fermento, cui si addas mollem saponem, aut mucaginem sinapis generosius efficies & multo validius si fiat ex calce & sapone, hoc enim vt cito paratur, ita principatum obtinet: quod si ferro vti volueris, & ęgrotantem decipere, ceratum parti applicabis, atque vbi sectio erit facienda, ibi foramen in cerato existat, oportet ad quantitatem & figuram futuræ sectionis & ferrum in anulo ex argento vel auro commode occultabis, sic enim patientem improuidum opprimet: Recluso iam abscessu pus vniuersum diligenter euacuabis, non ita tamen vt vulnus pro rites, dixi autem hic pus subito esse euacuandum, quoniam in brachijs & cruribus raro tumores insignes fieri consueuerunt, vt periculum sit ne cum subita & multa puris euacuatione deficiat anima, & vires concidant. At si contingeret in quibusdam corpulentis, ut in his partibus magni fierent tumores, atque suspicio esset ne propter magnam vulneris distantiam, & puris acrimoniam alicuius arteriæ os esset reclusum quod prius pure tanquam operculo quoddam oclusum contineretur, non subito, & affatim materia illa erit euacuanda, ne copiosi cum ea spiritus vitales cum graui patientis periculo egrediantur. Pure iam euacuato, si sectio pręcesserit, dolor, qui per eam fuerit excitatus, sedandus erit, & impetus sanguinis profluentis oui albumine & aliis id genus sanguinem supprimentibus erit inhibendus: deinde considerandum erit, vtrum sinus vel cauitas illa, quæ remanet magna ne an parua sit, etenim si parua fuerit, medicamentum aliquod eorum, quæ sine morsu siccant, sinus ille repleatur, oportet, cuius generis erit unguentum ex betona, quod tripliciter parari solet, vel cum decocto, vel succo vel puluere, si cum decocto fuerit paratus minus exsiccabit, & mollius erit, sin cũ succo magis ex siccabit adhuc magis si cum puluere, quare pro natura partis & sensus præstantia, nec non pro humiditatis copia hoc vel illud vsurpabis, elychniis itaque seu linamentis huiusmodi unguento illitis sinus exsiccabitur, vt caro facile

regenerari

regenerari possit. Extrinsecus vero vnguentum phænicinum ad linamenta continenda, ad partes circuniacentes contemperandas, ad fluxum, si quis aderit leuiter reprimendum erit accommodatum, vel loco phænicini spongia lixiuio, uel aqua thermarum expressa vsurpabitur carne regenerata ad cicatricem inducendam te conuertes, qua in re nullum medicamentum aptius experti sumus quando phænicino non cedit, quam puluis æris vsti loti, si vel cum vnguento de betonica commisceatur, vel cum phænicino addito non nihil ol ros. vel myrtini, vel si specillo ulcus illud iam planum & æquale factum æris puluere inspergatur subtilissime: dein admoueatur ceratum illud diapalma vel phænicinum appellatum.

At si cauitas, & sinus ille fuerit insignis, & sordidus, opus erit detergentibus & exsiccantibus magis uel minus pro natura partis, & humiditatis copia, vt supra diximus, quare cum institutum nostrum sit, cauitates, seu sinus, qui subsequuntur ab scessus vel in cruribus, vel brachiis curare, considerandum erit nunquid humiditas, quæ fluit sit copiosa nec ne, etenim si parua fuerit primis diebus abluta cauitate cum mulsa, deinde vero cum vino, quod medium obtineat locum inter dulce & adstringens huiusmodi medicamento repleatur. Recipe vnguenti de betonica ex decocto parati vnc. 5. ol. ror. drac. 2. vini subadstringentis quantum sufficit ad liquidum medicamentum efficiendum, quod si multa fuerit humiditas, & ob id medicamentum magis exsiccans desideraretur vtere vnguento de betonica cum succo vel pulueribus parato, vel adde nonnihil Isidis. Repleto sinu hoc medicamento filis euulsis in eodem medicamento madidis orificium claudes, & extrinsecus ceratum phænicinum admouebis, cui si nonnihil Isidis adiicias cum modico ol. ros. magis exsiccans efficies, vel huius loco spongia noua molli vt supra diximus, applicabis, atque vt materia paulatim & assidue percoletur, duplex emplastrum habebis, quorum alterum sit adeo amplum vt nedum totum sinum, verum etiam aliquam partem subiectæ carnis sanæ ambiat, in cuius medio sit foramē paulo latius quam sit orificium; sinus alterum vero paruum, quod superponatur pluribus locis forficibus perforatum. Curatio vero hoc modo erit instituenda, si orificium sinus fuerit in parte decliui, vt materia tota euacuari possit, quod si fuerit in parte superiori, vel ad latera ita tamen vt pus retineatur neque vllo modo effluere possit tūc si vel puluillis, vel figura & situ partis beneficium hoc consequi non potes, vt pus totum per colletur, ad sectionem erit confugiendum, atque tibi orificium in ea parte parabis, vnde speres materiam facile percolari posse. Alligatio vero incipiat a fundo sinus, & ad orificium desinat, ita tamen vt linteorum circūuolutiones fundum sinus sine dolore constringant, & paulatim laxentur vsque ad os sinus, hoc enim modo si progredieris, ne dubites, quin sinus omnes sanare possis, qua in re illud perpetuo memoria tenendum, vlcera nequaquam sanari posse, nisi intemperies, si quæ fuerit, prius amoueatur, & hæc de sinibus quantum proposito nostro conuenit, dicta sufficiant.

De Gangræna & Sphacelo. Cap. XXXII.

INterdum vero ad magnas inflammationes affectus subsequi solent, quos græci νεκ. ὠσεις nos vero extinctiones seu siderationes nominamus, qui si adhuc fiunt Gangrænas, si facti & confirmati sunt, sphacelos appellamus; Gangræna autem inde

oriri

oriri putamus, cum vel membri ſubſtantia cum calore ingenito corrumpitur & putreſcit, uel eius calor innatus perit, ac deſtruitur, membri ſubſtantiam & cum ea ſpiritum innatum corrumpi dicimus cum Aui. l. 4. fen. 3. t. 1. & is, cum venefica quædam ſubſtantia in ipſam agit, ſiue ſint humoris praui & venefici in inflammatione exiſtentes, ſiue ſint medicamenta deleteria extrinſecus adhibita. Calorem vero innatum ſeu ſpiritum inſitum plurimum pati poſſe iudicamus ſi vel priuetur ſubſidio caloris a corde fluentis, vel ſi ſecundum propria ſui naturam patiatur: priuatur autem ſubſidio caloris cordis ob impeditum illius tranſitum: tranſitus vero impeditur vel a cauſa interna, vel ab externa, ab interna quidem vbi propter materiam inflammationem efficientem arteriæ ita comprimuntur, aut ſpiritus vitalis, quòd eſt ſubiectum caloris libere permeare non poſſit: ab externa vero vbi eadem vaſa propter vehementem ligaturæ compreſſionem, vel aliquam contuſionem valde coarctantur patitur vero ſecundum ſui naturam rurſus vel ab interna, vel ab externa cauſa, ſi ab interna hoc dupliciter contingere poteſt, vel quia materia in inflammatione exiſtens primis, vel ſecundis qualitatibus peccat, primis quidem peccat, ſi fuerit vel intenſe calida, vel intenſe frigida, ſi ſummè calida fuerit, caliditatem illam abſumit, ſicuti flamma minor à maiori diſſipatur, ſin frigida extinguitur. quòd ſi materia ſecundis qualitatibus peccat hoc eſt ſui craſſitiæ, quæ ita obſtruat membri poros, ut calor ſeu ſpiritus innatus diflatione & motu illo perenni deſtituatur, quo maxime conſeruatur, tunc veluti ſuccenditur, & quodãmodo ſeipſum abſumit, at ſi patiatur calor ingenitus ſecundum ſui naturam ab externa cauſa id contingit non ob aliam cauſam quàm propter eaſdem qualitates actiuas excedentes. Ex hac itaque corruptione ac veluti deſtructione tum ſubſtantiæ partis, tum caloris inſiti facultas altrix propria ſede & inſtrumentis deſtituta munere ſuo fungi non poteſt, quare ſanguis, qui in optimum alimentum & in ſubſtantiam partis commutari oportuit in materiam excrementitiam, crudam & ſanioſam vt conuerteretur neceſſe fuit vt docuit Gal. j. in 3. de vul. morb. 5. & 5. per loca 7. quæ quidem materia ob prauam ſui qualitatem apta nata eſt ſubſtantiam ſanæ partis, & ob id etiam calorem inſitum ſui contractu labefactare, vnde ni quã primum opportunis remedijs occurramus, periculum eſt ne, breui temporis ſpatio totum membrum intereat, & ſideretur.

Gangrænam autem fieri cognoſcitur ex ijs quæ priuationem caloris ſubſequuntur, etenim cum omnis color fiat eo quia diaphanum ab oppaco terminatur, mirũ non eſt ſi ſanguis, qui prius inflammationem excitabat, uigẽte parte ignea & aerea magis ruber & floridus conſpiciebatur, nunc terreus magis factus propter ingeniti caloris extinctionem liuidus prius & ſubuiridis, deinde niger apparet; quo fit vt & cutis eiuſdem coloris ſpeciem referat. Ex eadem quoque caloris ſolutione, ſequitur, ut ſupra diximus ut crudæ & ſanioſæ materiæ generentur, vnde pars affecta flacida, mollis, & putrida exiſtens ſpeciem quandam praui odoris habet, neque ad compreſſionem digitorum reſurgit. Præterea facultas tum uitalis, tum animalis cum inſtrumento coadiuuante hoc eſt calore inſito priuari cœperint, neceſſario & pulſum & ſenſum illius partis, & propterea etiam dolorem hebetari contingit.

In curatione itaque Gangrænæ nedum ſcopi curatorii, præſeruatorii, & uitales locum habere uidentur, uerumetiam alia quoque deſiderantur, quę nulla methodó

do comprehendi possunt, & clarioris doctrinæ gratia non indicata, sed requisita communi genere nuncupari possunt: quare si scopos curatorios spectemus, & calorem natiuum ab insigni caliditate dissipari videamus, frigidis erit occurrendum; sin a frigiditate extingui, calida erunt adhibenda: quòd si scopos præseruatorios æstimemus causa tum interna, tum externa, quæ vias spirituum occludit submoueatur oportet, & sanguis crassus inflammationis author tenuior factus scarificationibus euacuabitur, deinde materia illa sanniosa, qua partes sanas labefactare potest exsiccabitur, & absumetur, substantia vere sanæ partis vt à venefica qualitate cuiuscunque materiæ. præseruetur, ijs occurremus, quæ similitudinem habeant cum proprietate, quæ consurgit ex harmonia, seu proportione mixti, dissimilitudinem vero cum proprietate illius materiæ veneficæ, ac deleteriæ, ut facultas partis merito proprietatis iam robustioris factæ prauæ materiæ resistere valeat; quæ autem sint hæc, quæ id præstare possint, sola experientia docet, cum nobis ignotum sit, qualis nam sit proprietas substantiæ partis vt monuit Aui. lib. 1. fen. 2. doct. 2. c. 15. & libro 2. tract. 1. c. 1. & 4. quare iure optimo diximus hæc nulla methodo cõprehendi posse, sed alexipharmaca, seu requisita præseruatiua & vitalia nominabimus, cum illorum munus sit mixti substantiam harmoniam, & illius proprietatẽ robustiorem reddere, & custodire. Postremo si scopos vitales spectemus: non solũ calor natiuus; verum etiam temperatura erit custodienda, quare emplastica erunt opportuna, nec non adstringentia, & moderate calida.

Huius affectus vis maior vel minor iudicatur ex progressu quare si vitium hoc nondum planè tenet, sed adhuc incipiat, non est difficilis curationis, & præsertim si fuerit in corpore iuuenili, & multo magis si musculi adhuc integri sunt, & genus neruorum parum, aùt nihil omnino sit lesum, atque vt vno verbo dicam, vbi multa non fuerit putredo, at si iam putredo nedum genus carnosum; verum etiam neruosum depascere ceperit, fit adeo imperiosus hic affectus, vt nisi quispiam quã celerrime subueniat, pars affecta, vt quam citissimè intereat est necesse, vt voluit Pau. lib. 4. c. 19. & Celsus lib. 5. cap. de Gangrena.

Quare si sanguinis aderit copia, tunc sanguis ex mali affecta parte quam fieri potest celerrime vena incisa euacuabitur, dummodo in eadem parte vena turgens conspiciatur. sin minus, præmissa fomentatione pluribus, & altis scarificationibus pro existentia sanguinis exhaurietur, quòd si patiens scarificationes timeret, hyrudines medicus applicabit. Vbi sanguis abunde fluxerit aqua salsa tepida locus affectus abluatur vt sanguis crassus attenuetur, deinde arida remedia putredini dedicata inducantur, veluti est Emplastrum, quòd fit ex farina Orobi vel Iolij, vel fabarum & oximellite, vel syrupo acetoso vt docuit Gal. 2. ad Gla. 9. quod si modicum theriacæ iniungatur non erit præter rationem, præsertim vero si aderit suspitio alicuius prauæ, ac veneficæ qualitatis, quòd si medicamentum ualidius desideretur sal adijciatur, aut puluis trocis. Andronis, vel Polidæ, vel Pasionis, bisque in die mutetur Emplastrum præmissa loci scarificati ablutione uel cum eadem aqua salsa, vel aqua thermarum si facultas dabitur; vel eum pusca calente modico mellis adiecto, vel decocto lupinorum, hæc enim vim habent exsiccandi, detergendi & putredinem absumendi, atque sui frigiditate, quod nondum corruptum est, à putredine arcent, & si qua insignis est calliditas extinguunt. In his tamen medicamentis administrandis mollities & durities partis spectabitur, etenim dura cor-

pora fortiſſima medicamenta deſiderant: mollia verò imbecilliora.

Vbi putredinis impetus fuerit repreſſus neque vlterius ſerpat hoc malum, tunc ſtudendum erit, vt quod iam corruptum eſt ab integro & ſano dirimatur, & ſanũ conſeruetur, id quod præſtabit vnguẽtum ægiptiacum, quod parari poteſt ex æris flore, alumine & melle, vt ſingulorum capiatur onc. ſ. aceti albi, & decocti lupinorum an. dra. ſ. Vt vero quod ſanum eſt à putredine vindicetur, hoc medicamento muniatur.

Recipe ol. roſ. omphacini } on. 2.
ſucci plantag. } on. 1 ſ.
miſce & fiat ebulitio in duplici vaſa ad conſumptionem ſucci deinde percoletur, huic adde,
ceræ albæ | onc. ſ.
farinæ fabarum | an. drac. 2.
lupinorum |
miſce ad ignem & fiat Emplaſtrum.

Vt vero cruſta, quam ab vnguento ęgiptiaco inducitur, detrahatur, & dolor, ſi quis adeſt, mitigetur hoc emplaſtrum erit ſuperponendum.

Recipe farinæ orobi } an. lib. ſ.
fabarum }
oximel. } onc. 1.
ſapæ } onc. 3.
decocti lupinorum. q. ſ. miſce & fiat Emplaſtrum, ſed animaduertendum eſt non ſat eſſe, vt ſemel ægipriacum admoueatur, ſed tandiu applicare oportet, donec pars putrida a parte ſana ſeparetur, quod vnuſquiſque facile obſeruabit. Quod ſi putredo propoſitis medicamentis non cedat, ad puluerem, aut ad aquam arſenici eſt confugiendum, puluis itaque hoc modo parari poteſt.

Recipe auripigmenti quod græci arſenicum vocant] drac. 2.
ſucci plantag. | an. onc. 1.
braſicarum |
aquarum corticum nucis (drac. 2.
miſce & fiat ebulitio ad conſumptionem ſucci deinde in ſubtiliſſimum polinem redige cui adde camphoræ ad leuorem reddactæ drac. ſ.
opij ſcrop. ſemis.
miſce & ſi poſtula bit vſus, hoc modo utere, locum effectum prius lupinorum decocto tepido ablue, deinde puluerem abſque exſiccatione inſpergito, & ſupradicto emplaſtro contegito, quòd ſi aqua uti uolueris, paretur hoc modo.

Recipe pulueris arſenici drac. 3. lixiuij dulcis li. 3. miſce & fiat ebulitio ad conſumptionem duarum partium: deinde adde aquæ roſaceæ lib. ſ. & iterum fiat leuis ad modum ebulitio atque vtere puluillo in aqua illa immerſo locum medium inter ſanum & ægrum madefaciendo nedũm ſemel, ſed bis terque quaterque: aquam uero illam efficaciorem reddes ſi roſaceam non admiſcebis, in qua etiam adminiſtranda vti licebit aut linamento, aut xilo, aut linteolo in ea madefacto inter ſanũ & ægrum ſeu corruptum applicato. Verùm ſi neque malum propoſitis medicamẽtis cedat, ſed in dies latius ſerpat, & Gangræna iam in ſphacelum abierit, tunc ad ferrum candens eſt confugiendum, neque pars putrida, corruptaue, & iam emor-

tua eſt tantum modo inurenda, verum etiam aliquantiſper ſana erit attingenda, ne putredo ipſa ſuo contactu tanquam venenum quod ſanum eſt inficiat; & tandem corrumpat. Putredine iam vel cauſtico vel ferro candente compreſſa, cruſta illa eſt detrahenda non ijs tamen medicamentis, quæ vim habent humectandi, & pus mouendi, verum ijs, quæ cephalica vocari diximus a Gal. ſi cum modico mellis roſacei admoueantur, vt vim habeant exſiccandi & ob id putredinem inhibendi, detergendi, & ſua vi emplaſtica calorem innatum roborandi, cuiuſmodi eſt vnguentum de betonica, & Iſis ſi cum melle roſaceo, vt diximus, permiſceantur, vel emplaſtrum, quòd ex farina orobi vel fabarum, vel hordei melle roſ. ſimp. vel oximelite, & ſapa parari poteſt, vel ex pane contrito, & ſucco oſymi, vel apij cum mulſa, & ſapa, hæc enim ſua actuali humiditate cruſtam emolliunt, potentiali vero ſiccitate putredini repugnant, & vi emplaſtica natiuum calorem conſeruant, ſuaque humida dulcedine dolorem, ſiquis eſt demulcent, quare in cruſtis illis eximendis, quę ferro candente excitantur, maxime conueniunt, ſuccus namque pororum ſi ſolus applicetur, dolorem inſignem mouere ſolet, quemadmodum experientia ſæpe comprobatum eſt.

His itaque & id genus alijs cruſta erit detrahenda, qua detracta vlcus expurgabitur, vel cum digeſtiuo communi appellato, quod parabitur hoc modo. Recipe farinæ hordei.

terbenthinæ cum vino albo dulci lotæ
viteli ouorum } an. drac. 1.

mulſę vel mel. roſ. ſimp. q. ſ. miſce & fiat linimentum, cui ſi biduûm poſt vel triduum pulueris mannę thuris, vel myrrhæ drac. 1. adiunges vlcus melius mundabitur, verum in corporibus mollioribus ac tenellis ad eximendam cruſtam ac ſordes detergendas, ſat erit emplaſtrum ex farina hordei, vel erui cum mulſa paratum ut docuit Pau. lib. 4. c. 9. Vlcere purgato ad cicatricem deducatur tum ſarcoticis, tum epuloticis medicamentis, & hæc de Gangræna & ſphacelo dicta ſint, quantũ propoſito noſtro facere uidetur.

De Excoriationibus. *Cap.* XXXIII.

SEquitur, vt de excoriationibus loquamur, quæ ſæpenumero cõtingunt ijs prę ſertim corporibus, quæ copioſis humoribus redundant, & ratio eſt, quoniam, præterquam quod per vlcuſculum excitatum natura iam humores euacuare aſſue uerit propter ligaturam quoque inſuetam, & prohibitam tranſpirationem calor excitatur, quo fit, ut humorum abundantia ad cutim vocetur, vnde excoriationes ſeu puſtulæ illæ vlceroſę contingunt, quę ſi fiant ab humore aeri, & mordaci, & ſalſo pruritus quoque inſignis, & moleſtus oboritur, his enim idem euenit, quod illis, quibus uicem purgationis humorum, qui ſunt in profundo corporis exercitatio ſuppleuit ad cutem euocans malorum humorum redundantiam, vnde vlcera & ſcabies, vt etiam dixerit Hipp. ſi impurgatus laboraueris, vlcera erumpunt, quibus exercitationibus opera quoque ueris aſſimilantur, ſiquidem verno tempore calor aeris ambientis humores diffundens educit ad cutim, quare dixit Hipp. 3. aph. 20. vere vlceroſæ puſtulæ plurimę fiunt. Vt itaque ab huiuſmodi puſtulis cauterio foros noſtros prę ſeruemus, quam diligentiſſime ſunt purgandi, vel antequã

inurantur cauteria, vel poſtquam iniuſta fuerint, & cum pruritum perſentient ap-prime vtile fore arbitramur, ſi partes aqua multa tepida, & dulci perfundantur, deinde butiro aqua maluarum, & horbei optime dilnto illinantur: quod ſi iam vl-ceroſæ puſtulæ fuerint excitatæ hi ſcopi ſunt abſoluendi, vt mordacitas illa & acre do deleniatur retundatur, cutis laxetur, materia illa diſcutiatur, & auocetur, poſtre mo puſtulæ illæ ulceroſæ nobis erunt exſiccandæ, & cutis erit inducenda, hoc au-tem facile conſequemur, ſi multa perfuſione aquæ dulcis temperatiſſime, ſeu tepi dæ materiam illam fundemus, & euocabimus, qua perfuſione addi medicamẽtum præſcribemus. Recipe ceruſæ vnc. 2. lithargiri vnc. 1. pulueris ſerici uſti drach. 15. aloes vnc. 5. ceræ vnc. 5. ol. roſ. q. 5. miſce, & fiat ceratum liquidum ſecundum artem, in omnibus enim inflammationibus vnguentis liquidis, non humidis, non duris vtimur, non humidis propter putredinem, non duris, quia liquida vtpote mollia ad inflammationem arcendam ſunt magis accommodata ut monuit Gal. 1. de fract. 21. Exſiccabit quoque huiuſmodi excoriationes cerum lactis caprini caly bearum, uel aqua hordei cum maluis decocta, aut aqua laſtrenſis, uel montis ægro torum in agro patauino exiſtente, uel aqua ſalſa, in qua malua, & fenogræcum fue-rit incoctum.

De Carne ſucreſcente. Cap. XXXIIII.

PRæter excoriationes, ſeu puſtulas illas ulceroſas ſæpe fieri ſolet, & præſertim à principio vt caro ſuccreſcat, luxuriet, & labia promineant, cui incommodo vt ſuccurramus, fila, ſeu linamenta ſicca, aut portio quædam tenuiſſima ſpongiæ no-uæ inſtar laminæ latitudinis unius auri, uel eadem ſpongia minutim inciſa, vel com buſta erit adhibenda, vel etiam puluis oſſium ſepiarum in delicatioribus, & tenel-lis, aut aluminis uſti, aut hellebori nigri, aut æris vſti loti, aut corallorum, aut præ-cipitati optimè præparati, & cum lacte diluti, & ſimilium caro ſuperabundans erit eximenda, ad validiora non eſt, ut accedamus niſi neceſsitate coacti, uerum nullum auxilium eſt magis præſentaneum, quam carnem ipſam luxuriantem, & quaſi inſẽ ſibilem omni cum diligentia circuncidere, diximus autem quaſi inſenſibilem, quoniam non ſumus eius ſententiæ, ut caro hæc omni prorſus ſenſu careat, quem-admodum omnes ferè anatomici exiſtimarunt hac una ducti ratione, quod nerui per ipſam non ſint diſtributi, quæ ratio quamuis prima facie uideatur demonſtra-re, nihilominus cum experientiæ repugnet dicendum eſt una cum Gal. uerum qui dem eſſe, neque carnem, neque vllam corporis partem ſentire, quæ non ſit parti-ceps neruorum. Sed hoc modo propoſitionem hanc eſſe intelligendam, vt pars il la nõ ſentiat, quæ neruos a ſeipſa diſtãtes habeat, neq; nata ſit aut neruos, aut neruo rũ virtutem ſuſcipere, quoniã non eſt credibile, nec vlla ratione fieri poteſt, vt par ticula nulla detur aut carnis, aut cutis, aut alterius partis ſenſitiuæ, quantumuis minima, quæ neruorum non ſit particeps, quoniam ſi ſic eſſet caro muſculorum ab eorundum fibris arte nulla ſeparari poſset, ſeparatur tamen; non eſt itaq; dicen dum reperiri non poſſe carnis, quam minimam partem, quæ neruorum non ſit par ticeps; ſed potius cum Gal. ſtatuendum iudicamus, virtutem illam ſenſitiuam a ner uis ad partes proximas tranſmitti ipſiſq; communicari: atq; de neruis idem pror ſus eſt exiſtimandum ac de venis, qua in re anatomicos quoq; noſtri temporis aber

rare

tare videmus, præfertim illos, qui volunt nullam effe partem carnis, nullam cutis quantumuis minimam, quæ venarum non fit particeps, cum videant ex quauis mi nima, & in quauis partis perforatione fanguinem rubrum effluere, non animaduertentes perpetuam effe naturæ operationem, & neceffarium effe ad nutritionem celebrandam fanguinem ex venis ad inania, ad porofitates exire oportere, atque in iifdem tantis per conferuari, donec fiat appofitio, agglutinatio, & tandem affimilatio, non enim fumus eius fententiæ, vt ad nutritionem quamlibet celebrandam necefle fit, vt alimentum prius in vaporem mutetur, deinde concrefcat, & hanc, vel illam formam fufcipiat, etenim ficut hæc opinio eft imaginaria, videtur quoq. multiplicare entia, fine neceffitate; fed non eft locus. Quod vero fieri non poffit, vt quælibet pars carnis, vel cutis venarum, & neruorum fit particeps ex hoc quoque comprobari poteft: nam fi verum effet hoc; ergo venæ, & nerui quamuis partes fint feminales, regenerarentur, quam tamen regenerationem ifti non admittunt; quod autem hoc fequeretur, experientia docet, quoniam videmus in redundantia carnis, & illius excrefcentia maximam fanguinis copiam redundare, & fenfum aliquem ineffe, fed maiorem, vel minorem pro diftantia carnis, quæ luxuriat ab optima, & naturali carne, quæ ipfi fubiicitur, quod fi fic eft, ergo & maxima ibi adeffet venarum copia, & nonnulli nerui, quæ corpora cum carne fuiffent regenerata, at quis hoc diceret? Preterea fi hoc effet verum, ut in qualibet particula carnis effent nerui, in eadem effent venæ, daretur penetratio corporum, neque caro, venæ, & nerui inter fe re vera, fed fola ratione diftinguerentur. Sed hæc obiter dicta fint, quoniã de his latius commodiori loco.

De Callofitate. *Cap. XXXV.*

SOlent præterea huiufmodi vlcufcula interdum fieri callofa, ut propterea ex illis nihil effluat, nihil excernatur, quare ad callofitatem, & duritiem hanc eximẽdam, aut facrificationem adminiftrabis, deinde cucurbitulam femel bifue admouebis, aut fi patiens fcarificationem admittere noluerit, loco fcarificationis imponatur puluis, vel febinæ, vel chalcanti vfti loti, vel helleboris nigri, vel fimus columbinus filueftris aceto acerrimo diffolutus, quibus fi non cedet ad mifi, ad arfenicũ optime præparatum, & ad alia huiufmodi leuiora cauftica eft accedendum, de quibus copiofe fuperius locuti fuimus, quo tempore, vel facta fcarificatione, vel puluenibus adminiftratis partes circuniacentes emolliantur, quare fi durities, aut exigua, aut in molli ac tenello corpore fuerit impreffa emollientia primi ordinis erunt accommodata; fin corpora fuerint robuftiora, & fortiores affectus fecundi, quemadmodum, & quarti pro illorum ratione.

Emollientia primi ordinis præfcribantur hoc modo.

Recipe butiri uetufti
Colophoniæ } an. vnc. 1.
ceræ candidæ non vetuftæ
mifce & liquantur ad ignem in duplici vafe, vel alio modo.

Recipe adipis fuilli recentis curati fiue purgati vnc. 2.
Cerufæ } an. drac. 2.
argenti fpumæ

ceræ drac. 6.
quæ liquanda sunt liquentur, siccis superfundantur, & fiat liquidum ceratum ὑγρόκηρον, à græcis vocatum, quod si ceræ drac. 2. cum vnc. 1. butiri liquefacies, vel oui vitellum addas medicamentum quoque eiusdem ordinis habebis, nec non si ceram cum oleo commisceas. His vero paulo valentiora habebis pharmaca, si parentur ex æsipo, resina, & cera pari pondere liquefactis, cuius generis sunt etiã, quæ fiunt ex adipe gallinaceo vel anserino.

Secundo vero ordinis emollientia ita parantur.

Recipe ol. veteris
adipis suilli } an. on. 2.
argenti spumæ
misce & fiat ceratum liquidum.

At si volueris emollientia tertij ordinis, fiat ex styrace, ammoniaco, bdelio, propoli, chalbano, seuo taurino, hircino, medullis, & huiusmodi aliis vt.

Recipe guttæ ammoniaci in aceto acerrimo dissoluti drac. 10.
terebinth.
chalbani } an. drac. 1.
thuris
myrhæ vino madefactæ } an. onc. 1.
ol. laurini | drac. 6.
ceræ | onc. 1.
misce, & contundenda contundantur pistillo laurino iniuncto quousque perfecte dissoluantur vna cum cera.

At extremi emollientium ordinis ceratum habebis, vt quo nullum indurata magis emollire comperies, si hoc modo fiat.

Recipe stercoris caprini lib. 1.
aceti acerrimi q. s. misce, & fiat malagma, vel.
Recipe opoponacis seu panacis liquoris onc. 1.
myrrhæ
chalbani } an. vnc. 5.
ceræ
mannæ thuris
ammoniaci in aceto dissoluti } an. vnc. 1.
resinæ frictæ
aceti vnc. 4.
mis. & fiat Emplastrum secundum artem, quemadmodum docuit Gal. 7. per genera. 6. Hęc tanquam exempla proposita sunt, ex quibus diuersimoda compositis infinitæ propemodum differentiæ oriri possunt, quare & vetustas, & simpliciũ mutua symetria est consideranda, etenim si capiamus medicamentum illud, quod constat ex oleo, adipe & argenti spuma, ex eo quod recens, aut vetus oleum adepsq; fuerit inquit Gal. 7. per genera. 5. quatuor differentiæ prodibunt, quandoquidem uel ambo recentia sunt, vel vtraque uetusta, vel alterum vetus; alterum recens: At si eorundem simplicium symmetriam contemplemur aliæ plures differentiæ pululabant, siquidem vel pari pondere, & mensura hæc tria miscentur, vel duobus quidem paribus, tertio non pari, vel tribus mistis imparibus; hæc itaq; sint

veluti

veluti exemplar eorum,quæ in cæteris obſeruari poſſunt. his enim inſtructus non magno negotio,& valentiore virtute prędita, & imbecilliore dignoſces, dummodo ſimplicia pharmaca prius didiceris maioris ac minoris ratione in ipſis definita, quod ſi partes circumiacentes eſſent ita calloſæ, vt nulla ratione vitium hoc corrigi poſſet,tunc vlcuſculum alibi eſt efficiendum.

De ſiccitate Cauteriorum. *Cap.* *XXXVI.*

INterdum etiam contingit,vt vlcuſcula fiant aridiora,& ſicciora, quam par ſit, vt nihil omnino ex iis effluat nihil excernatur eo quia vel natura aliam ſibi euacuationem compararit,uel quia præceſſerit aliqua inſignis excrementorum euacuatio,vel quia ſubſit quædam eiuſdem loci intemperies, & ſic facultas veluti otioſa exiſtat, quare tunc quomodocunque, & quauis cauſa vlcuſculum fuerit exſiccatũ, nihil præſtantius eſſe arbitramur,quam partem ipſam humidiorem reddere, & facultatem veluti otioſam,&quodammodo ſopitam excitare,id quod fieri poteſt iis, quę vim habent emolliendi,& morſum quendam leuem obtinent,quare pars affecta bis in die aqua dulci tepida large perfundatur, in qua ſi maluæ quoq; fuerint incoctæ,non erit præter rationem. poſt balneum laudamus, vt cauitas vlceris inſpergatur,vel puluere hellebori nigri, vel ſabini, vel fimi columbini, vel alterius materię ex genere earum, quas ſupra diximus ad exterrendos callos eſſe accommodatas.Extrinſecus vero pharmacum aliquod emolliens ex iis, quæ proxime dicta ſunt applicabimus,iis enim ſperandum eſt fieri poſſe,vt tandem materia ad locum conſuetum aduocetur.

De mutatione ſitus Cauteriorum. *Cap.* *XXXVII.*

QVod ſi quandoque loco dimoueantur,& partibus neruoſis adhæreant, atque proinde dolores excitentur,tunc enitendum eſt,ut puluinis, & ligaturis in priſtinam ſedem reuocentur, quòd ſi nullo modo conſequi licebit, in loco commodiori alterum vlcuſculum erit affigendum, antequam alterum occludas,& ad cicatricem deducas.

De uitanda praui odoris ingratitudine, & eleganti faſciatione adhibenda.
Cap. *XXXVIII.*

VErum quia nedum cito,&tutò verum etiam iucunde mederi debemus,ob id duo ſunt nobis præſtanda,quorum alterum ad prauum odorem euitandum pertinet: alterum ad elegantem faſciationem ſpectat,ut itaq; odor ingratus,qui ex ipſis ulcuſculis interdũ exhalare ſolet,auferatur,danda erit opera, ne quod ex vlcuſculis effluit partibus adiacentibus hæreat,quare ſingula quoque hebdomada laudamus,vt ſpongia vino albo odorato expreſſa,partes ipſæ circumiacentes abluatur, quod ſi loco uini utatur aqua roſacea, vel alio aliquo liquore odorato, non improbamus præter ablutionem ſuademus, ut bis in die folia ſeu ſorbilla,vel linteola immutentur, immo tempore æſtatis pro copia materiæ fluentis ter quoque mutare
non

non erit inutile linteola vero ſint munda,& odorata, ſi vel cum muſco, vel ambra, vel roſis, vel ſpica, vel alia aliqua materia odorata in ciſtella, vel capſula incluſa fuerint.

Elegantem autem, & commodam faſciationem adhibebimus ſi faſciæ fuerint leues, tenues, molles, mundæ, latæ, ſine ſuturis, ſine eminentiis ita ualentes ne extenſæ rumpantur; & ſint præter hæc odoratæ, leues quidem ne onere infeſtent, tenues ne ambitus in tumore nimium aſſurgant: molles ne ob duritiē vrgeant; mundæ ne indecoræ exiſtant,& malum odorem edant, latæ ne ſecere videantur; ſine ſuturis inæqualibus,ne fiat compreſſio; ſine eminentiis,ne vinculum reddant inequale, odoratæ tandem,ne odoris vlcuſculi ingratitudine,& ſibi, & aliis moleſtus eſſe poſſit. Quæ faſciæ ſi ex inciſo linteo fiant, non incidatur linteum tranſuerſum,ſic in longitudinem ſicut intextum eſt ſectione ad ſtamen directa, ſic enim facile ſcindnntur,& quod vinctum eſt,firmius continent: multorum autem generum fieri poſſunt,etenim vel ſcinduntur in quattuor partes, ita tamen vt medium, qua vlſcuſculum complectitur,integrum relinquatur;vel nulla in parte ſcindũtur, ſed ab vtroque capite duę ſunt chordulæ,vt inter ſe apte vinciri poſſint:alterum tamen caput faſciarum altero latius eſſe debet,vt vinculum commodius ſuccedat, & elegantius. Sed hæc ſunt facilia, & vnuſquiſque in ſimplici ligatura pro neceſſitate, & commoditate vinculum ſibi parabit. Hoc vnum tamen in faſciationibus admonere licet, vt faſciæ in cruribus ſuram verſus ducantur in brachiis vero verſus alam niſi adſit aliquid, quod impediat: ſæpe namque fit, vt propter ineptam faſciandi rationem dolor, & ſatis inſignis excitetur. Et hæc de Cauteriis dicta ſint.

FINIS.

MICHAELIS GAVASSETII DE PRAELVDIIS ANATOMICIS.

OCCASIO SCRIBENDI.

CAPVT PRIMVM.

CVM hactenus viderim anatomicæ ſpeculationis profeſſores omiſſis veris totius artis fundamentis, ſolam partium humani corporis ſtructuram attigiſſe, decreui vt ſtudioſam iuuentutem ad altiora ſtudia promouerem, præludia quædam anatomica, quaſi totius artis medicæ neceſſaria principia è tenebris in lucem euocare; quibus perſpectis, & planè cognitis neminem futurum arbitror, qui non fateatur nulla ratione fieri poſſe, vt quiſpiam ſine huiuſmodi ſpeculationis cognitione finem artis medicæ aſſequi valeat. Verum ne ſolo verborum apparatu aures veſtras demulcere videar rem ipſam aggrediar.

Propoſitio. *Cap. II.*

SErmo itaque noſter in eo verſabitur, vt intelligamus quot modis dicatur Anatome, quæ ſit illius natura, quod officium & munus, quod ſubiectum, qui finis, quot eius partes, quo ordine ſint diſponendæ, & quam utilis futura ſit ne dum chirurgo, verum etiam cuicunque medico; immo ſpero cognita eius natura neminem fore, qui non aſſerat præter vtilitatem ac neceſſitatem nullam eſſe artis medicæ partem, quæ cum hac parte ſit dignitate comparanda.

De multiplici genere Anatomes. *Cap. III.*

SEd antequam ad naturam illius explicandam accedamus, illud eſt prius animaduertendum nos de quocunque genere anatomes verba non eſſe facturos, quandoquidem anatome vt docuit Gal. 3. per genera 2. ſub finem & 2. de anato. adm. 3. duorũ eſt generum, altera quidem (vt ipſe appellat) artificioſa, quæ potius voluntaria eſt dicenda; fortuita altera, quam græci κατὰ περίπτωσιν ἀνατομήν, vel τραυματικὴν θέαν appellant hoc eſt fortuitam anatomen, vel vulneriam ſpeculationem: prætermiſſa anatome fortuita, quippe quæ ad barbitonſores pertinet: de voluntaria, vt quæ conſulto adminiſtratur eſt nobis dicendum. Hæc autem duplex eſt, altera, quæ guſtus gratia in brutis tantum exercetur; altera ſalutis in corporibus humanis: quæ guſtus gratia ſuſcipitur, ad macellarios, ad coquos, ad ſtructores pertinet; quæ uero cauſa ſalutis humani corporis ſuſcipitur, eſt illa, quæ ſpectat ad medicos, quæ adhuc dupliciter conſiderari poteſt, vno modo protectione ipſa, ſeu actu ſecandi; alio modo pro præceptis anatomicis, ſeu doctrina anatomica reiecto primo modo conſiderandi, nos altero modo conſideramus anatomen, & propterea vt & chirurgis, & medicis inſeruit, in qua ſignificatione accepta hoc modo definiri poteſt.

De Natura Anatomes. *Cap.* IIII.

ANatome est physiologia humani corporis à medico inuenta, vt natura partium cognita ab omni labe vendicetur) hanc definitionem optimam & perfectam esse iudicamus, cum omnes definitionis leges & conditiones complectatur, declarat enim definiti naturam, soluit omnia dubia, quæ in ea contingunt, & omnium accidentium causam adducit, quemadmodum perfectæ definitiones facere consueuerunt, ut scribit Aristo. 4. phy. 31. & primo de anima 11. quo fit etiam vt distinguat definitum à cæteris omnibus, quæ sub eodem genere continentur, cum definito comest, per omnia genera causarum traddita sit siquidem causam formalem, & finalem internam exprimit physiologia; non enim est inconueniens formam & finem internum quandoque coincidere; materialem in qua corpus humanum; efficientem principalem medicus, instrumentalis patebit in explicatione partium, quę definitionem complent: finalem externam tutella partium, & morborum depulsio, seu remediorum inuentio.

De causa formali, & finali interna. *Cap.* *V.*

ANatomem diximus esse physiologiam, vt hæc pars medicæ facultatis contraheretur ad Theoricam, atque distingueretur a pathologica, & simiotice, & per physiologiam intelligimus contemplationem, seu artem, & habitum quendā cognoscendi, & proprietatem essentiæ, siue naturæ alicuius subiecti, vt nobis tradidit Gal. 1. de lo. aff. 1. & physiologiam potius, quam artem secandi vsurpauimus, vt haberemus genus, quod apte dici posset de qualibet parte anatomicæ facultatis, cum nulla sit pars, quæ huic generi non subijciatur, siue ad ossa, siue ad carnem, siue ad sectionem, siue ad actionem, siue ad facultatem, siue ad vsum partium pertineat, quoniam doctrina de ossibus appellari potest physiologia, nec non doctrina de anatomica administratione, de sectione musculorum, venarum, arteriarum, & aliarum partium, item doctrina de Pla. Hipp. de facultatibus naturalibus, atque de vsu partium, quod tamen de arte secandi dici non potest, quis enim diceret Osteologiam esse artem secandi? quis doctrinam de Pla? de facultatibus naturalibus? de vsu p.? nemo certe sanæ mentis huiusmodi genus satis commode vsurpare posset, nisi fortasse diceret per artem secandi se intelligere physiologiam hanc, quam nos vsurpauimus, quæ improprietas dicendi quam aptè definitionibus conueniat, vos iudicabitis; & multo minus conuenit nomen peritiæ; nullum itaque genus erat magis accommodatum, quam physiologia, quemadmodū significauit nobis. Gal. 2. meth. 5. vbi dicebat venas, neruos, & arterias esse elementa eius physiologiæ, quę est de homine: Eandem formam, & finem nobis proposuit Gal. 1. de lo. aff. 1. 3. per genera 2. sub finem, & potissimum 2. ad Gla. 1 nec non 6. meth. 4. quibus in locis aperte docet Anatomen traddere nobis cognitionem naturæ membrorum, quæ natura in quo nam posita sit, non omnes norunt.

Hoc autem vt cognoscamus, illud imprimis est statuendum nobis, sermonem esse de natura partium corporis humani, quarum aliç similares, aliæ dissimilares dicuntur; & partes similares illas esse dicimus, quarum fragmenta similem integris

subilan-

substantiam obtinet: contra vero dissimilares, de quibus paulo inferius dis putabitur.

Atque vt de natura similarium primo loquamur hoc vnum fateri debemus, singularium partium naturam illam esse, cuius causa functiones proxime subsequuntur, sed functiones partium similarium à forma, & illarum constitutione proximi prodeunt ex Gal.1.meth.7. forma itaque, & partium similarium constitutio illarum naturam nobis ostendunt.

At cum forma rerum nedum medicis, verum etiam philosophis lateat, hinc fit, vt loco formæ essentialis ad propria accidentia, quæ proximè emanant ab ipsa con fugiamus, nempe ad actiones, & vsus, quo factum est ut Gal. 1.de pla.13.& 2. eiusdem ultimo dixerit ex mente Aristot. ad operationem, & vsum cuiuscũque instrumenti non ad fabricam esse respiciendum ei, qui, quæ nam sit eius essentia conside rare cupit; actionem itaque, & vsum partium similarium, vt cognoscamus, est necesse; necnon illarum constitutio, ut diximus est contemplanda, quæ in optima tẽperatura, & partium unitate posita esse videtur.

At dicet statim quispiam, si temperatura sensibus ipsis non est subiecta, quomodo ars anatomica ad ipsam cognoscendam conferre poterit, cum ea potissimum doceat, quæ sensibus percipiuntur? & tanquam instrumentum accommodatum sectionem adhibeat.

Hanc difficultatem cum uidisset Gal. plerisque in locis, sed præcipue 1. de lo. aff.1 9.de anato.adm.1.5.meth.5.& 6.de pla. 8. duplicem partium proprietatem proposuit, alteram partium similarium; alteram dissimilarium, & utranque obiectum esse visus, & tactus facile dignoscitur, quarum altera temperaturam plerunque, altera compositionem præscribit, vt si sermo sit de partibus similaribus exempli gratia de carne polmonum, proprietas substantiæ est, vt sit rara, leuis, & subalbida, quam proprietatem nos docet anatomica speculatio: hæc autem cum partis tẽperaturam consequantur, siue fiant ab alteratrice, siue à formatrice, hinc fit, ut per hanc proprietatem temperaturam ipsam aliquo modo cognoscamus, quare cum dissectiones vtiles sint ad hanc proprietatem cognoscendam, sequitur etiam vt sint vtiles ad temperaturam ipsam indagandam, nec non ad partium actiones, & vtilitates cognoscendas.

Quod autem vnitas ad illarum constitutionem desideretur, ita manifestum est, vt non sit opus in hac re declaranda tempus conterrere, quando ex dissolutione partium ita lædatur constitutio, vt actionem perturbari sit necesse, quam vnitatẽ singulis partibus inesse sensus ipse declarat.

Ex his itaque satis constat naturam partium similarium nobis demõstrare actionem substantiæ partium proprietatem, & vnitatem, quę omnia per anatomen hoc est per sectionem ipsam facile inueniuntur.

At si sermo sit de partibus dissimilaribus, in quibus anatomici potissimum versari debent, illarum natura tota posita est in illarum forma, & constitutione, quẽadmodum de similaribus dictum est, & propterea in actionibus, & vsibus, quæ formam circunscribunt, & à qua proxime emanant, nec non in proprietate substantię, quæ constitutionem partium dissimilarium describit, quę nihil aliud est, quam illarum compositio, atque optima partium membrum illud constituentium unio, ad quæ omnia inuenienda utilis est anatome etenim per dissectiones animalium

G 2 viuentium

viuentium multas actiones,& vſus inuenimus,ut ſupra dictum eſt,prætereа ex diſſectionibus cognoſcimus proprietatem compoſitionis,& ſubſtantiæ cuiuslibet inſtrumenti,quæ compoſitionem deſignat quemadmodum docuit Gal. 5.meth. 5.& 6. de pla. 8. ut exempli gratia anatome docet inuenire proprietatem compoſitionis,& ſubſtantiæ pulmonum,cerebri,cordis,hepatis,& aliorum id genus, quorum inſtrumentorum proprietas eius generis eſt, vt quæ in uno reperitur,in altero reperire non liceat,etenim cum uidemus cordis figuram magnitudinẽ, numerũ partium,& ſitum,adde proprietatem carnis, proculdubio fatemur eam eſſe huius cõpoſitionis proprietatem,quæ in nullo alio viſcere reperire liceat.

At quod unitas in his partibus quoque deſideretur facile conſtat ex dictis, quoniam ſi proprietas ſubſtantiæ debet in ipſis inſtrumentis obſeruari neceſſe eſt, vt partes ita ſint unitæ, ut ex omnibus illis accidentibus vnum quoddam exurgat, quod proprium illius inſtrumenti dicatur.

Hic proportionem ſubſtantiarum elementorum,vi cuius pars ad formam mixti ſuſcipiendam apta redditur, non conſideramus, quoniam non exiſtimamus proportionem illam eſſe cauſam, à qua proxime fluant actiones, nec principalem, ut eſt facultas,nec inſtrumentalem,ut conſtitutio,& propterea non conferre ad inueniendа remedia per indicationem.

Conſtat itaque artem hanc eſſe phyſiologiam,atque inuentam fuiſſe, vt naturã partium humani corporis cognoſceremus, qui finis communis cum ſit anatomicæ ſpeculationis,ut & philoſopho,& medico inſeruit, quando uterque artem hãc ſpeculetur,ut naturam partium perfectè cognoſcat, ob id alterum finem externũ propoſuimus, merito cuius ars hæc anatomica medicæ facultati coarctatur; de quo fine ſuo loco dicetur.

Verum quia diximus nomen peritiæ multo minus conuenire huic ſpeculationi, ob id aliquis ſtudioſus nobis obiicere poſſet authoritatem illam Gal.2. ad Gla.c. 1. ſub finem, & alteram, quæ habetur 3.per genera 2. ſub finem,quibus in locis Gal. Anatomicam diſciplinam peritię nomine vocat,non contemplationis,aut artis,aut habitus cognoſcendi,ſeu ſpeculandi.

Quibus authoritatibus ſic ſatisfieri poſſe arbitramur, ſi dicamus anatomicam diſciplinam duas habere partes,quarum altera in eo verſatur, ut ex inciſione ſtructuram ſingularum partium tantummodo cognoſcat, præterea nihil : altera uero non in eo tantum ſe exercet,ut partium ſtructuram cognoſcat,uerum etiam, ut cuiuslibet actionem,& uſum, nec non artificium naturæ in qualibet particula conſequatur: quare ſi priorem partem, ſeu primum genus ſpectemus,anatomica ſpeculatio proprie peritia nominari debet,& illius ſtudioſi periti, cum ſola exercitatione,ac obſeruatione comparetur. Quòd ſi alterum genus expendamus impropriè peritia;ars uero & ſcientia propriè nominabitur,& illius profeſſores artifices, & ſcientifici:ſcientia quidem ſi finem internum,ars vero ſi finem externum ſpectemus, quoniam etſi actiones interdum ex confectione viuorum, & mortuorum appareant, plerunque tamen ad illarum inuentionem ratiocinationes adhibentur, quemadmodum docuit Gal. 2.de anat.adm. 1.quod ſi etiam totam anatomicã ſpeculationem nomine peritiæ cum Gal.appellare nobis placeret,non eſſet graue peccatum; Nam idem contingeret huic arti,& doctrinæ, quod vniuerſæ arti medicæ contigit, quæ tota ab una parte fuit nominata, ut admonet Gal.in lib.an ars tuẽd.

valet.

valet.pertineat ad artem med.cap.ult.& ab ea parte fuit appellata, quæ primo fuit inuenta, & quæ maxime vtilis erat, sic etiam de disciplina anatomica dici potest, quòd scilicet peritia fuerit appellata ab ea parte,seu genere, quod primo fuit inuentum,& quod maxime esset ex vsu.postmodum vero cũ pueri domi apud parentes non amplius exercerentur,quemadmodum à principio exerceri solebant opus fuit commentarijs,quæ speculationem ipsius integram conseruarent,in quibus quidem conscribendis cum præceptorum causam,& rationem adducerent, nõ immerito arté vocare cæperũt,quare,& peritia,& ars,& sciẽtia sine graui dedecore vocari potest,quando Gal.& veram theologiam appellare veritus non fit.Nos itaque non exercitium,non obseruationẽ tantum spectantes,sed ad præcepta respiciẽtes physiologiam seu artem habitumue potius,quã peritiam appellare maluimus, ita tamen vt per physiologiam non intelligamus sola præcepta, quæ ad anatomicam administrationẽ spectant,verum magis præcepta quæ ad actionis,& vsus cuiuslibet partis inuentionem pertinent, non quæ manuariæ operationi tantum inseruiũt; sed quę ad affectuũ dignotiones, ad pręsagia, ad curationem plurimum conferre possunt,vt docuit Gal.2.de anat.adm.1.& 2.

De subiecto Anatomes. Cap. VI.

SECVNDO loco dictum fuit esse physiologiam (corporis humani) vt hæc speculatio distingueretur a physiologia elementorum,humorum,ciborum,simplicium medicamentorum,& id genus aliorum,quæ neque corpora humana,neq; partes illorum dicuntur, præterea vt materiam subiectam exprimeremus: diximus quoque (humana corpora) ut aliorum animalium corpora excluderemus, in quibus quamuis naturę artificium speculari liceat, illorumque contemplatio plurimum conferat ad humana corpora cognoscenda, nihilominus speculatio, hæc gratia humani corporis suscipitur, hæc autem corpora intelligimus tam viua, quàm mortua, vt speculationem utranque complectamur, quamuis mortua in gratiam uiuorum contemplentur. rursus (per corpora) intelligere licet, & totum corpus, & corporis partes, quoniam existimamus corpus humanum subiectum esse anatomicæ speculationis,ut est instrumentũ quoddam,& ea ratione huius disciplinæ subiectum nominari, qua mouetur non motu quidem metaphorico,quemadmodum est intelligere,memorari, imaginari, sentire, ac nutriri,sed motu locali uoluntario,& rationali, seu artificioso, ueluti est nauigare,digladiari, texere, & alij huiusmodi motus uoluntarij,rationales, & artificiosi, quæ formalis ratio, vt persuaderi possit,primo probandum est dari unum quoddam corpus, quod sit vnum instrumentum, & propterea illius vnam esse operationem, quam deinde demonstrabimus uni corpori humano conuenire præterea nulli.

Quod itaque detur vnum corpus, quod sit unum instrumentum, atque illius vna operatio,sic persuaderi potest, nam si dantur prima,secunda, tertia, & quarta instrumenta,atque ita sint constituta, vt secunda ex primis, tertia ex secundis, & quarta ex tertiis componantur, non ne fieri potest, vt ex omnibus instrumentis maxime compositis compago una, una corporatura, quam οὐλομελίην, uocauit Hippoc. unum quoddam instrumentum maxime compositum oboriatur, nempe totum

tum corpus, cuius una sit operatio? quemadmodum persuadere uidetur Gal. 1. de usu p. 8. ex mente Hipp. ubi habet hęc uerba τὰ μόρια του σώματος, πάντα ἀλλήλοις ἐστι συμπαθῆ, τουτέστιν εἰς συνπηρεσίαν ἑνὸς ἔργου πάνθ' ὁμολογεῖ, hoc est particulas omnes corporis sibiinuicem compati, & consentire, idest in famultum unius operationis omnes cōspirare, at si datur una operatio, cui omnes corporis partes subseruiunt, ergo datur unum instrumentum, hæc enim inter se comeant.

Nec est quod quispiam nobis obiiciat Gal. authoritatem, quæ ex loco iam citato desumi potest, ubi ait τα μὲν δὴ μεγάλα, καὶ τοῦ παντὸς ζώου μόρια, καθάπερ χεῖρες, καὶ πόδες, καὶ ὀφθαλμοὶ, καὶ γλῶττα τῶν ὅλων τοῦ ζώου χάριν ἐνεργειῶν ἐγένοντο, καὶ πρὸς πάντας ἅπανθ' ὁμολογεῖ. hoc est magnæ quidem, atque totius animalis partes vti manus, pedes, oculi, lingua gratia totius animalis actionum factæ sunt, in hacque omnes conspirant: quoniam etsi dicat Galen. magnas partes factas esse totius animalis actionum gratia, non debemus tamen ob id inferre, ergo vna totius corporis non est operatio, si quidem verum est plures esse totius animalis actiones; nec tamen absurdum est dicere, vnā esse totius corporis actionem, plures particulares, vnam communem: etenim manus, pedes, oculi, lingua, & aliæ huiusmodi partes, dum simul agunt, plures totius animalis actiones complent, veluti est texere, nauigare, digladiari, consuere, & alię quamplurimæ huiusmodi actiones particulares, quæ totius aīalis actiones dicūtur; sed q̄ro ego qua rōne hæ oēs actiones totius aīalis actiones dicuntur; velint, nolint, qui aliter sentiunt, coguntur vnam cōem afferre rationem, merito cuius omnes illę actiones totius animalis actiones dicantur, quam cum primum nacti fuerimus, tunc operationem totius animalis, vel potius totius humani corporis (de hoc enim animali sermo est) inuenisse putabimus, quare videndum est, in quo nam operationes magnarum partium conueniant. Ego certe dum rem ipsam diligenter considero, quid commune habeant eiusmodi actiones inter se præter motum localem voluntarium non inuenio. Ergo motus hic voluntarius eritne statuenda operatio humani corporis, & sic ratio formalis subiecti anatomicæ facultatis? Hoc nequaquam mihi videtur simpliciter, & absolute asserendum, cum ratio formalis cuiuslibet subiecti, ita subiecto illi propria, & peculiaris esse debeat, vt alteri nulli conuenire possit: sed motus localis voluntarius communis est nobis cum brutis, non est itaque ratio formalis statuenda: Necesse est itaque, vt addamus quidpiam huic motui, quo distinguatur à motu cæterorum animalium, sed quid aliud addere possumus, quam quod motus hic voluntarius ratione, vel arte aliqua celebretur, vt motus voluntarius rationalis, seu artificiosus sit actio propria humani corporis, vt est instrumentum quoddam, & subiectum anatomicæ facultatis.

Hoc autem, vt adhuc faciliùs persuaderi possit, hoc vnum statuendum est, naturam in humani corporis fabrica construenda, non solum vitam spectasse, vt in plātis, quę tantummodo nutriuntur, augentur, & naturali quoddam motu sentiunt, & motu mouentur; nec meliorem simpliciter vitam, vt in Zoophitis, & imperfectis quibusdam animalibus, quę nedum nutriuntur, augentur, & naturali, verum etiam animali sensu sentiunt, & motu mouentur; nec meliorem vitam, qua perfecta animalia fruuntur, vtpote quæ nedum animali motu, verum etiam voluntario mouētur: sed vitam perfectissimam, excellentissimam, ac veluti diuinam, vt docuit Gale. 1. de vsu p. 2. & ob eam causam ei tribuisse has omnes perfectissimas operationes

tiones: nam etsi concedamus hominem has omnes operationes cum plantis,& cęteris brutis animantibus communes habere, specie tamen eas a seinuicem distingui obiectorum diuersitas significare videtur,cum in genere alimentorum,alia homini,alia boui,alia plantis conueniant,pari ratione mouemur,sentimus, perturbamur, vt bruta, at non more brutorum,perfectior enim animæ gradus ipsa nimirũ natura inferiores potẽtias,ita temperat,coercet,ac moderatur, vt eas quoque quãtumuis communes alioqui nobis cum stirpibus, atque brutis existant,excellentiores tamen reddat; natura itaque in hac structura, seu corporatura, non uitam tantum,vt diximus,non meliorem vitam, sed ex omni genere optimam selegit, non nutritionem, auctionem, sensationem naturalem, & generationem solum spectauit,non sensum,& motum animalem tantum, non motum tantum voluntarium, sed præter hæc motum artificiosum, cuius causa homo, non vt subiectum philosophiæ moralis, sed vt est subiectum anatomicum a quibuscunque aliis animantibus differt.

Præter has rationes habemus quoque Galen.authoritates, quæ sententiam nostram maxime comprobare videntur,etenim 1. de vsu p.3. dicebat Gale.ex mente Anaxagoræ hominem,ideo manus habuisse,quia sapientissimus erat futurus, quibus verbis, quid aliud significare voluit,quam operationem, quæ fit beneficio manuum sapientia, & ratione gubernari, vt homo solus omnium animalium cum rationem tanquam artem ante artes habeat in anima, iure optimo eidem natura manuum,tanquam organum ante organa tribuerit,ut ipsemet Galẽ. scriptum reliquit eodem libr. cap. 4. Rursus hoc idem confirmare videtur 3. de vsup.3. vbi inter omnia animalia hominem inquit stare, & sedere, quia manuum actiones in opificiis duabus iis egent figuris: sed manuum actiones sunt motus voluntarii, ergo artificiosi,alioquin duabus propositis figuris non indigerent. Sed clarius 14. de vsup.6.vbi dum animalium præstantiam, & perfectionem ex partium, & animarum nobilitate, & excellentia quærit, hominem omnium perfectissimum statuit non ob aliam sane causam,nisi quia manum habet perfectã,& rationẽ,quæ tanquã suo,& peculiari organo vtitur manu: operatio itaq; manus cũ ratione gubernetur, & operatio illa sit motus voluntarius,& ratio dicatur ars ante artes,sequitur,vt motus ille,& rationalis,& artificiosus perbelle nominari possit.

Nunc superest,vt,proposita (quod arbitror) rei veritate,opiniones nonnullæ submoueantur, quæ hactenus viros in arte medica Clarissimos defatigarunt, quippe qui, cum viderent negari non posse,cum unum sit corpus, unum quoddã instrumentum maxime compositum,illius quoque non esse vnam operationem, in hac tamen definienda plurimum elaborarunt, etenim alii operationem hanc tertiam esse coctionem sunt arbitrati, alii uero ratiocinationem esse statuerunt: At qui motum rationalem, seu artificiosum proposuerit,aut subodorarit, neminẽ hactenus vidi, aut audiui,præter Excellentiss. Cappiuacciam præceptorem meum, quem honoris gratia nomino.

Qui tertiam coctionem totius corporis operationem esse dicunt,hac una ratione mouentur, quod illius læsio ad morbum totius corporis sequatur,nempe ad febrem, quę quidem opinio prima facie verissima esse videtur, quoniam dubium nõ est,quin in qualibet febre ob intemperiem calidã,& siccã singularũ partium tertia concoctio oblædatur,neq; negandum est,quin febris sit morbus totius corporis,at

que

que inter omnes conſtat ui morbi functiones labefactari.

Qui vero ratiocinationem eſſe ſtatuunt,in hanc opinionem non ob aliam cauſam,vt arbitror,venerunt,niſi quia viderunt nihil eſſe,quod humana corpora à corporibus brutorum magis diſtinguat,quam ratio.

Hæ opiniones quam lubricæ,& pueriles exiſtant quamuis ex ſupradictis facile appareat,nihilominus præter ſupradicta,duo ſunt potiſſimum,quę nos ab illorum opinionibus auocare poſſunt,quorum alterum ſententiam euertit,alterum vtranque infirmat & diluit: prior opinio hac ratione conuellitur, quoniam illa dicitur propria & peculiaris operatio alicuius inſtrumenti,quę inſtrumentum illud à cęteris inſtrumentis ſeiungit: ſed tertia concoctio non diſtinguit corpus humanum à corporibus cæterorum brutorum animalium,cum tamen inſtrumenta non per ſtructuram,ſed per operationem inter ſe diſtinguantur,vt docuit Gal. 1.de Pla.8. & 2.eiuſdem ulti. tertio itaque concoctio non erit propria humani corporis operatio. quare ad rationē illorum dicendum eſt, tertiam concoctionem eſſe operationem humani corporis, ſi partes ſimilares ex quibus conflatur,ſpectemus;at ſi humanum corpus conſideremus, ut eſt inſtrumētum quoddam ex pluribus partibus diſsimilaribus compoſitum, illius operatio non erit tertia concoctio, ſed motus ille, quem diximus,uolontarius rationalis,& artificioſus.

Altera ratio,quæ utranq; opinionem tollit eiuſmodi eſſe poteſt.Ad morbū unius partis principalis inſtrumēti lęditur operatio totius inſtrumeēti,ut exēpli gratia ad læſionē humoris cryſtallini,uel tunicarū oculi læditur uiſio,ad lęſionem carnis iocinoris,lęditur ſanguificatio, & ſic de reliquis;ſed ſi manus,uel pes abtruncatur,ſi lingua abſcindatur, ſi oculus eruatur,morbus erit in præcipuis partib. ex quibus tot corpus humanum conſtruitur teſte Gal.j.de uſu p.8.nihilominus neq; tertia concoctio totius corporis, neque ratiocinatio labem ullam, aut detrimentum ſuſtinebunt,neutra itaque ex his operationibus erit propria humani corporis cenſenda: quare dicendum eſt tertiam concoctionem eſſe operationem humani corporis,ſi partes ſimilares;ex quibus conflatur, ſpectemus.at ſi humanum conſideramus, ut eſt inſtrumentum quoddam ex pluribus partibus, tum ſimilaribus, tum diſſimilaribus compoſitum,illius operatio non erit concoctio,ſed motus ille uolūtarius,quem raaionalem & artificioſum appellari poſſe diximus.

Ad alterā rōnē de rōcinatione dicendū eſt, hoīem dupliciter à cęteris aīalibus ſeparari poſſe,uno mō per ſolā intellectus operationē,altero modo per operationē inſtrumentorū,& pręſertim manus,ut per ratiocinationem ſeparatur à brutis, cōſideratur à philoſopho, ut uero per inſtrumēta ab ijſdem diſtinguitur conſideratur ab anatomico,quod uidetur nobis ſignificaſſe Gal.6. de pla.ult. ubi ait ὀν κειότερον μὲν ἰατρῷ ἐπὶ τῆς σωματικοῖς ὀργάνοις, φελοσόφῳ δ' ἐπὶ ταῖς ψοχικαῖς δυνάμεσι ποιεῖσθαι τὴν διδασκαλίαν.ἕπεται δ' ἐπιδειχθέντι θατέρῳ θᾶτερον, καὶ τοίνυν φαίνονται γεγραφότες οὕτως ὑπερ αὐτῶν ἱπποκράτης, καὶ πλάτων, ὁ μὲν ὑπὲρ τῶν σωματικῶν ὀργάνων τὸν πλείω λόγον ποιησαμένος, ὁ δ' ὑπὲρ τῶν ψυχικῶν δυνάμενων, quæ uerba nobis ſonant conueniētius quidem eſt medico, ut de corporeis inſtrumentis, philoſopho uero de facultatibus animalibus doctrinam inſtituat:ſequitur autem ut altero demonſtretur. uidentur igitur de ipſis hoc modo ſcripſiſſe Hippocrat. & Plat. ille quidem de corporis inſtrumentis,ille uero de animæ facultatibus plura diſſeruit, quibus uerbis facile confirmatur ſententia noſtra, immo ex iiſdem uerbis, & ijs quæ corpus humanū

huic

huic vel illi doctrinæ ſubijcitur, quando naturali philoſophiæ ſubijci poſſe videtur ſecundum iuſtitiam phyſicam quæ conſurgit ex optima compoſitione, ſeu mixtione quatuor elementorum; morali vero ſecundum iuſtitiam virtutum, quæ pullulat ex optima harmonia trium virtutum rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis, prout ex illarum commoderatione oritur virtus illa quæ iuſtitia nominari poteſt, anatomicæ tandem ſpeculationi ſubijcitur ſecundum iuſtitiam anatomicam quæ conſurgit ex optima partium ſimilarium, nec non diſſimilarium conſtructione, quæ & equalitas & ſymmetria, & proprietas, & pulchritudo nominari poteſt, anatomica itaque ſpeculatio cum ſit pars medicæ facultatis, humani corporis inſtrumenta potius conſiderat, quam animæ facultates, quare & à cæteris animalibus per eadem & eorundem operationes corpus humanum ſeiungere debet, cuius rei, ſi ratio quæratur hæc vna aſſignari poteſt, quoniam in arte medica præter materiam medicam ea quæruntur à quibus indicationes hauriri poſſunt; ſed indicationes ab inſtrumentis non à facultatibus hauriuntur, inſtrumenta itaque ab arte medica potiſſimum conſiderari debent, quare hinc obiter colligatis temperaturam eſſe quid diuerſum à facultate.

Conſtat itaque quid in hac difficultate dicendum ſit, in qua ſi rei veritatem nō fuero aſſecutus; illud ſaltem ex dictis conſecuti videbimur vt literatiſſimorum virorum ingenia ad altiorem ſpeculationem excitentur.

Verum quia diximus per corpora nos non ſolum intelligere totum corpus vt eſt inſtrumentum quoddam maximè compoſitum, verū etiam corporis partes, ob id ſciendum eſt ex partibus corporis alias propriè, alias impropriè ad anatomen pertinere: quæ impropriè ab anatome comprehenduntur ſunt partes illæ, quæ abſque vlla inciſione oculis ipſis ſeſe offerunt, quas nedum proprio nomine appellare, verum etiam illorum ſitum, ordinem & vſum cognōſcere ad anatomicum pertinet; quæ vero propriè ſub anatome comprehenduntur ſunt illæ partes, quæ ſine inciſione ſenſibus non ſubijciuntur, & hæ adhuc decem ſunt generum, aliæ quidem internæ, aliæ vero externæ, per externas partes intelligimus cum Gal. 2. de anato. adm. 3. muſculos, neruos, arterias, venas non cordis aut alterius virtutis, quæ tenuiſſimæ & capillares exiſtunt, verum quæ in cruribus, manibuſque ac thoracis exteriori regione iuxta ſpinam, aut pectus, aut coſtas, aut ſcapulas, aut abdomen, aut collum, aut caput ſunt conſpicuæ. per internas vero viſcera ipſa latentia.

De Inepta diuiſione artis medicæ. *Cap. VII.*

EX qua conſideratione medici, qui in magna exiſtimatione habentur, occaſionem arripuerunt, vt artem medicam in duas partes dilacerarent, quarum altera partes externas, internas altera conſideraret, & alteram tanquam vilem & abiectam negligerent, & chirurgis relinquerent; alteram tanquam digniorem toto pectore amplecterentur. Quod quam ineptè ac inſulsè factum ſit ex hoc facile vnuſquiſque iudicare poteſt, etenim ſi verum eſt, quod Gal. & omnes philoſophi fatentur, ac veritas ipſa docet artes omnes operatrices non ſubiecto tantum ſed fine potiſſimum inter ſe diſtingui. Cum vtraque ſpeculatio vnum & eundem ſibi finem proponat nempe remediorum inuentionem, vel tandem ſanitatem ipſam, qui fieri poteſt, vt ad diuerſos artifices pertineat?

Statuamus itaque ad optimum ac perfectum medicum vtranque speculationē pertinere tam partium externarum quam internarum, non autem ad chirurgos, etenim herbarij vnguentarij, coqui, cataplasmata adhibentes, clysteria immittentes, styllicidia administrantes, scarificantes, venam incidentes, & alias huiusmodi manuarias operationes exercentes, qui communi vocabulo chirurgi appellari deberent quamuis improprie barbitonsores, & balneatores seu thermopylæ nominentur, neque res naturales neque præter naturam, neque non naturales contemplantur: sed medico tanquam architecto suo subseruiunt, quemadmodum milites tum iaculatores, tum funditores, tum pestres, tum equestres Imperatori suo inseruire debent, & sicut Imperator quandoque iaculatur, pugnat & digladiatur, non vt Imperator; sed per illas artes id facit, quæ arti Imperatoriæ subseruiunt; sic medicus si quandoque manuarias exercet operationes, non id facit vt medicus, sed vt minister, & sicut Imperatori non est vitio, sed gloriæ ac laudi ad scribendum si pro salute sui exercitus, pro tutella vrbis digladiatur, sic medicus vrgente necessitate non erit damnandus, si ad manuarias operationes descendet, quemadmodum Gal. & omnes veteres præclarissima medicæ facultatis lumina factitarunt, quare imprudenter admodum factum est à viris Clarissimis, qui speculationem hanc à medico negotio seiunxerint.

At dicet quispiam, si speculatio hæc partium externarum ad chirurgos non pertineret, ergo anatomica speculatio, quæ partium externarum cognitionem prosequitur non inseruiret ijs, qui aculeos, spinas, telorumque cuspides, & plumbeas glandes probe eximunt, nec ijs, qui aptè quippiam excisuri sunt, vel qui sinus, fistulas, & abscessus manu curabunt, qui tamen chirurgi vocantur. At his inseruit, ut docet Gal. 2. de anat. adm. 2. & j. de anat. adm. 3. ergo speculatio hæc ad chyrurgiam pertinet.

Huic difficultati non erit difficile satisfacere, si dicamus chirurgiam cum Gal. 4. de anat. adm. j. dupliciter considerari posse, vno modo propriè pro qualibet manuaria operatione in qua significatione quã sæpissime vsurpatur à Gal. altero modo improprie pro parte illa medicæ facultatis, quæ partes corporis externas contemplatur quæque perspecta illarum natura remedia opportuna perquirit, eorundemque rectam administrationem aggreditur, vt illarum sanitas vel conseruetur, vel deperdita reparetur, quæ tamen pars medicæ facultatis nisi ad operationem manuariam descenderet cũ chirurgia nullo mõ diceretur, verum, cũ ad operationē descendat ab ignobiliori parte chirurgiam appellare maluerunt, & hoc modo viri illi Excellentissimi se à calumnia vindicare possent, nisi existimarent speculationem illam ad solos chirurgos pertinere, ac si cognitio naturæ illarum partium, cognitio vulnerum, vlcerum, tumorum, fracturarum & luxationem, remediorum & illorum vsus nihil ad se pertineret; quo fit etiam, vt si quis committatur error vel in Emplastris præscribendis, vel in secundis particulis, quæ secari non deberent, totam culpam in chirurgos reijciant, cum tamen omnibus operationibus tanquam architecti præesse velint, quare aut foras cum sua ignorantia & persuasione sunt explodendi, aut fateri debent speculationem hanc ad medicos pertinere: & cum hoc fateri cogantur, quid est quod adeo negligenter in hac parte versentur, vt si ab illis quæras in quo nam posita sit natura partium nedum externarum, verum etiã internarum, quarum speculationem maxime profitentur, aut rident, aut subtilita-

tes &

res & logicas quæſtiones eſſe dicunt. Cum tamen dixerit Gal. 2. de facul. naturalibus. . nullo modo fieri poſſe vt inueniantur remedia ſine cognitione ſubſtantiæ corporum nec eſt, quod periti græcarum literarum dicant, quemadmodum in margine notarunt, mendum eſſe in codice græco & pro σωμάτων, legendum eſſe νοσημάτων, quando ad inuentionem remediorum, ad affectus curandos æque ſit neceſſaria cognitio ſubſtantiæ ſeu naturę corporum, atque cognitio naturæ morborū, quemadmodum docuit Gal. paſsim in methodo medendi & 2. de anat. adm. 2. & potiſsimum 17. de vſu p. 2. in calce & l. de venæ ſect. aduerſus Eraſiſt. 4.

Quare adhortor ſtudioſos omnes vna cum Gal. 2. de anat. adm. 2. & 3. vt praua horum virorum opinione neglecta prius naturam partium externarū, mox latentium viſcerum functiones, deinde ſingulorum vſum calcant, quando ad affectuum dignotionem ad inuentionem auxiliorum, ad rectam materierum adminiſtrationem plurimum conducant.

De Cauſa efficiente. Cap. VIII.

TErtio loco propoſita fuit cauſa efficiens nempe (medicus) & per medicum intelligimus cum Gal. medicum philoſophum, quandoquidem veteres non modo medici verum etiam philoſophi anatomes ſtudioſi fuerunt vt teſtatum reliquit Gal. 4. de anat. adm. j. & 17. de vſu p. j. medici quidem vt perſpecta membrorum natura finem ſuum facilius aſſequerentur, philoſophi vero vt hæc particulari & naturali philoſophia e docti animum ſuum excolerent, ac illuſtrarent, quare nō immerito dixit Gal. 17. illo de vſu p. artem hanc non ſoli medico vtilem eſſe futuram; ſed multo certe magis medico philoſopho, qui totius naturam ſcientiam ſtudeat ſibi comparare, quare philoſophi redarguendi ſunt, qui hac particulari philoſophia neglecta in vniuerſalibus tantum modo verſantur.

De fine externo. Cap. IX.

DIctum itaque fuit à nobis naturam humani corporis eſſe cognoſcendam (vt hæc ab omni labe vindicari poſſet) quo fine ars anatomica, vt inſeruit medico diſtinguitur ab eadem vt inſeruit philoſopho, cum philoſophis duplici ratione inſeruiat vel ſolius ſpeculationis gratia, vel vt doceat artificium in qualibet particula probè expreſſum, quemadmodum docuit Gal. 2. de anat. adm. 2. ſub finē: medico vero vt per eam cognita natura partium, ſeu perſpecto illarum ſtatu naturali eundem cuſtodiemus, aut ſi labes aliqua fuerit contracta detergatur, ac eleuatur, vt primarius finis ſit cuſtodia virtutis, ſecundarius vero morborum depulſio, nam etſi conſeruator & curator vitam tanquam finem communem ſibi proponant, & ſanitatem tueri ac morbum depellere ſit vitam cuſtodire, vt docuit Gal. 9. meth. 10. nihilominus ſi vtriuſque artificis proximum finem ſpectemus, conſeruatoris finis ꝓximus deficit cuſtodire virtutis ſeu actionis & ſic vitę, cū vita nihil aliud ſit quam vires aut earum actiones ut inquit Gal. 9. met. 13. Curatoris uero non erit cuſtodia uirtutis; ſed morborum depulſio, quæ tamen ad uitam cuſtodiendam pertinet; quare non alia ratione cognoſcenda eſt partium natura, ſeu ſtatus naturalis humani corporis, niſi vt ſtatus ille primo cuſtodiatur; deinde ſiquis

contingat receſſus,vt ad priſtinum ſtatum reuocetur, id quod cum aſſequi non liceat, niſi auxilia idonea & accommodata inueniantur, hinc etiam quiſpiam non iniuria aſſere poſſet finem externum anatomicæ ſpeculationis eſſe inuentionem remediorum tum eorum, quæ vires & ſic vitam proximè reſpiciunt & ob eam cauſam cum Gal.9.meth.13. vitalia dici poſſunt; tum eorum, quæ proxime ad expugnandum morbum pertinent,quæ curatoria nominantur.

At video initiatos & in artte medica parum verſatos dubitare, quomodo cognitio ſtatus naturalis partium ducat nos in cognitionem remediorum vitalium; ſeu doceat viam & rationem, qua potiſſimum naturalis ſtatus cuſtodiatur, & præter naturam corrigatur, quibus vt res ipſa plana & perſpicua reddatur paulo altius exordiendum eſt,atque duo principia ſunt nobis ſtatuenda, quæ certè nemo ſanæ mentis negare poteſt: quorum alterum eſt,virtutem ſui cuſtodiam ſemper deſiderare,morbum vero ſui ablationem,dicimus autem virtutem ſui cuſtodiam deſiderare,non quod virtus ſecundum ſui ſubſtantiam labem aliquam ſeu detrimentum patiatur,quando impaſſibilis prorſus exiſtat;ſed ſui cuſtodiam deſiderare dicimus propter organa, quibus vtitur ad actiones ſuas obeundas,quæ ſui cuſtodiã deſiderãt,cuiuſmodi eſt temperies, compoſitio, vnitas,calor natiuus,& ſpiritus vterque, quæ quidem organa dum naturalem ſtatum obtinent,virtus quælibet optimam & perfectam operationem prodit: vbi vero à naturali ſtatu deturbantur,virtutem à proprio ſcopo aberrare contingit. Alterum vero principium eſt ſimilia ſimilibus conſeruari,& contraria contrarijs expugnari: quibus iactis principijs,quis eſt ille, qui non videat ſtatum naturalem alicuius partis nequaquam cuſtodiri poſſe, aut præter naturam emendari, niſi prius ſtatus ille perſpectus, & plane cognitus fuerit:ſed ars anatomica eſt illa,vt iam dictum eſt, quæ ſtatum naturalem partium ob oculos proponit; ad remediorum itaque inuentionem plurimum confert, & per conſequens ad naturam partium ab omni labe tuendam.

Cæterum ex his,quæ dicta ſunt oritur difficultas, quoniam ſtatuimus nos virtutis ſubſtantiam impaſſibilem eſſe,quod tamen ſententiæ Gal j. præſag. expul. 4.5. de ſymp.cauſis j.11.meth.3.12.meth. 5.2.ad Gla. 2. repugnare videtur, quibus in locis non quid impaſſibile,non conſtitutionem,non calidum innatum & ſpiritum vtrunque ſubſtantiam virtutis ſtatuere videtur; ſed quandoque ſolam temperiem, quandoque calidum innatum tantum,quandoque ſpiritum cum ſolidis,interdum etiam addit carnoſum genus; & propterea quid paſſibile, vt mirandum non ſit, ſi plerique authoritatibus addicti plerunque hallucinantur,ſeque ab infinitis propemodum difficultatibus explicare nequeunt.

Nos itaque non authoritatibus & verbis tantum adſtricti; ſed ducem tanquam Deum ſecuti naturam exiſtimamus neque Galenum opinioni noſtri refragari;neq; ſibimet aduerſari, quippe qui cum ſubſtantiam facultatis ignoraret, vt ipſe teſtatus eſt 1.de cauſis pul.2.ad inſtrumenta confugit, quæ ſenſu & ratione quadam comprehendi poſſe videbantur,cuiu modi ſunt commoda temperies; calor inſitus;ſpiritus & ſolida ſpiritus,ſolida & carnoſum genus; quare duo ſunt nobis perpendenda,quorum alterum eſt cur interdum ſolam temperiem proponat; interdum vero calidum innatum tantum; interdum ſpiritum cum ſolidis;interdom etiam addat carnoſum genus. Alterum vero nunquid ea,quæ à Gal. proponuntur diuerſa ſint ab his, quæ à nobis propoſita ſuere, quibus explicatis neminem fore arbitror, qui

hac de

hac de re amplius dubitare possit.

Galenus itaque 1.de præsag.ex pulf.4. & 3.de symp. causis j.statuit substantiam facultatis esse temperiem hac de causa, quia temperies præcipuum est ac primariũ instrumentum a quo sumit exordium quælibet operatio; quare vbi solam temperiem proposuit,actionis principium & originem spectauit 2.vero ad Gla.2.& 3.in 6.de vulg.morb. 18.calorem insitum voluit esse substantiam facultatis, quia caloris insiti necessitas tanta est, vt neque facultas custodiri, neque temperies absque huiusmodi calore ad actionem celebrandam commodum instrumentum esse possit, vt suo loco dicetur. 12. vero meth. 5. substantiam facultatis dixit esse spiritum & solidum genus,quia si spiritus & solida secundum naturam se habeant,actiones perfectas fieri est necesse; sin minus perturbari & impediri non est dubitandum, si tamen per spiritus omne genus spirituum intelligamus, & per solida nedum partes seminales verum etiam sanguineas comprehendamus,quod clarius nobis significauit idem Gal. 11. meth.3. vbi præter spiritum & solida genus quoque carnosum adiunxit: quare Gal.quamuis non videatur sibi constare,nihilominus constantissimus est,& pro discrimine rerum modo vnum, modo aliud instrumentum,modo plura,quandoque omnia proponit.

Superest itaque vt ostendamus sententiam hanc Gal. nulla in parte sententię nostræ refragari, quod vt vnicuique compertum sit illud tanquam perspicuum est supponendum non alia ratione Galenum dixisse substantiã facultatis positam esse in spiritibus,solidis & carnoso genere, nisi quia ad actiones obeundas hæc omnia necessaria esse videantur. De necessitate spirituum suo loco dicetur; Quod vero solida & carnosum genus ad actiones obeundas necessario desiderentur sic probari potest,si dicamus in qualibet actione præter principium vt quo & exteriora,necessario quoque principium vt quod desiderari,quod ita notum est, vt probatione non egere uideatur, quare præter facultatem & spiritus tanquam exteriora interna(dico autem interna ad differentiam eorum, quæ sunt extra corpus)solida quoque nec non carnosum genus desiderantur quæ, vt operatio inculpata fiat, constitutionem naturalem obtinere,& conseruare debent, quę cum posita sit in commodo temperamẽto,optima compositione,& vnitate,sequitur, vt solida, & carnosum genus per sui naturalem cõstitutionem ad actiones conferre dicantur, quare nihil interest siue dicamus substantiam facultatis positam esse in spiritibus ac optima cõstitutione, siue in spiritibus solidis & carnoso genere,quod si sic est, ergo nullum erit discrimen inter sententiam nostram & Gal. opinionem.

Sed altera difficultas non contemnenda oboritur, quoniam dictum fuit superius actionem & vsum tanquam accidentia propria proxime a facultate dimanantia eandem nobis facultatem definire, & sic tanquam instrumenta & signa nos veluti manu ducere in cognitionem naturæ partis, vt ipsa cognita ab omni labe vindicetur,quod fit per inuentionem remediorum, quæ opportuna & accommodata iudicantur,quod si sic est, ergo natura partis cognita indicabit nobis remedia opportuna; sed iam probatum est nos cognoscere naturam partis, cum facultatem cognoscimus & illius instrumenta nempe constitutionem & spiritum, ergo facultas indicabit nobis opportuna remedia, sed hoc falsum est, ergo & id ex quo sequitur nempe cognitionem naturæ partis positam esse in cognitione facultatis.

Huic

Huic difficultati ſic reſponderi poſſe iudicamus ſi fateamur naturam partis poſitam eſſe in facultate tanquam in agente vt quo & in conſtitutione ac ſpiritibus tanquam in inſtrumentis,aut agente vt quod(loquendo præſertim de conſtitutione)& naturam partis cognoſcendam eſſe à medico non ſimpliciter & abſolute vt ab omni labe vindicetur,ſed ſecundum quid,hoc eſt ſecundum partem illam, quæ mutationem aliquam ſuſcipere poteſt, cuiuſmodi ſunt ſpiritus & conſtitutio, vbi animaduertendum eſt nos à ſpiritibus non ſeiungere calidum innatum; quare non ſequitur natura partis indicat opportuna remedia ergo à facultate ſumitur indicatio, quoniam cum facultas nullam mutationem ſuſcipiat niſi per ipſa inſtrumenta,ab inſtrumentis itaque ſolis ſumitur indicatio, medicus namque vt ſupra diximus inſtrumenta magis, philoſophus vero facultatem contemplatur, quare medicus vt medicus ſola inſtrumenta contemplatur, cætera vero in gratiam inſtrumentorum.

De partibus Anatomicæ facultatis quæ ex diffinitione conſurgunt. Cap. X.

EX diffinitione propoſita vnuſquiſque facile poteſt partes omnes propoſitæ ſpeculationis indagare;atque vt exordiantur a forma & fine interno, phyſiologia hæc duo nobis ſignificat & diſputationem ſeu cognitionem, & naturam, ſi ſpeculationem ſeu cognitionem ſpectemus hæc,vel ſenſu & experimento, vel ratione comparatur,ſi ſenſu & experimento, dicitur peritia,ſin ratione,ars vel ſcientia nominatur; quod ſi naturam contemplemur, cum natura hæc ſit humani corporis natura: merito humani corporis duas partes habemus, etenim ſicut corpus diuiditur in oſſa & carnem, ſic anatomica ſpeculatio diuiditur in oſtealogiam & ſarcologiam. Oſtealogiam docet Gal.in lib. de oſſibus, ſarcologiam in cæteris libris:at merito naturæ plures aliæ partes conſurgunt, quoniam cum natura poſita ſit,vt diximus,in facultate & inſtrumentis,quæ omnia nobis incognita ſunt, ob id neceſſaria fuerunt media quædam quæ nobis veluti ob oculos vtranque partem proponerent; ſectio itaque tanquam medium opportunum ad conſtitutionem deſignandam adhibita fuit; actio vero & vſus ad facultatem deſcribendam, quare merito ſectionis doctrina de diſſectionibus oboritur,quam docet Gal. in libris de anat.adm.de diſſectionibus muſculorum, venarum, arteriarum, vocalium inſtrumentorum,& vuluæ. At merito actionis & vſus, nec non facultatis, quam deſcribunt tres aliæ anatomicæ ſpeculationis partes ſe oſtendunt, quarum vna de facultatibus;altera de actionibus,tertia de vſibus nominatur,doctrinam illam de facultatibus docet Gal. in lib. de facult.naturalibus; illam vero de actionibus in libris de Pla.Hipp.& Plat. præpoſui libros de facultatibus naturalibus doctrinæ de placitis,quia Gal.in lib.de Pla. dixit oportere nos prius eſſe verſatos in lib.de facultatibus naturalibus antequam ad lib.de placitis accedamus; ratio quoque hoc idem dictare videtur, quoniam facultates ſunt actionum principia; eandem quoque doctrinam docet in lib.de motu muſculorum, de motu thoracis & pulmonis; de inſtrumento odoratus,an ſanguis in arterijs contineatur; de fetus formatione: an omnes animalis particulæ eius quod eſt in vtero fiant ſimul: nec non in libello de ſemine. At doctrinam de vtilitatibus docuit Gal. in libris de vſupar. de vtilitate reſpirationis,ac de vſu pulſuum,qui libri eo ſunt ordine diſponendi, quo propoſiti ſunt:

ti sunt: & præsertim illi,qui genericas huius speculationis partes complectuntur, vt sunt libri de ossibus : de anatomica administratione : de facultatibus naturalibus: de placitis Hipp.nec non illi de vsu par.etenim alij, in quibus particulas artis docet Gal.si inter se compararentur,nullum necessarium ordinem seruant,quemadmodum docuit Gal.j.de anat.adm.2.sub finem, veluti sunt libri de dissectionibus venarum, arteriarum, neruorum & aliarum huiusmodi partium, & quod dico de libris,in quibus particularium instrumentorum sectiones considerantur, idem dicendum est de illis, in quibus particularium instrumentorũ actiones declarantur.

Quòd si quispiam huiusce ordinis rationem quærat : illa quidem assignari potest,quoniam cum in animalibus ossium substantia id præstat,quod in ædibus parietes, & in tentorijs pali, quos κάμακας græci vocauit, cum sint tanquam fundamenta ad vniuersam corporis substantiam sustentandam,atque in ijs etiam omnia adnascantur, & stabiliantur idcirco ὀστεολογία primum locum sibi vendicauit, præsertim vero,ne cum musculorum,ligamentorum, & aliarum quarundam partium sectionem quis aggrederetur per tenebras progredi videretur, cum aut ex illis oriantur, aut in illa desinant & inferantur, postremo quoniam vt dicebat Gal.j. de anat.adm.2.ossium figuram sequuntur quæcunque sunt in animali.

Post ossium doctrinam proposita fuit doctrina de dissectionibus,quoniam conducit vt diximus ad naturam humani corporis cognoscendam , & ob id ad finem consequendum , quando constitutionem describat & ad actiones & vsus plurimũ conducat , vt videtur nobis significasse Gal.j. de locis aff.j.& 2.de vsup.7. Perspecta ratione secandi corpora ordinis ratio postulabat, vt sequeretur doctrina de actionibus, vt monuit Gal. loco citato , & postremum locum sibi vendicaret doctrina de vsibus, quoniam vt docebat Gal.j. de vsu p.8.& 2. eiusdem cap.16. & 5. cap.4.& 7.cap.20.& 8.cap.3.& 9.cap.4.& 16.cap.4.nec non alijs plerisque in locis fieri non potest, vt alicuius particulæ vtilitatem rite assequamur, nisi prius totius instrumenti actionem inueniamus , vsus itaque actionis inuentionem præsupponit.

Hic itaque est ordo quo libri anatomici sunt disponendi , quem ordinem vtrum seruarint illi , qui in Gal. libris disponendis plurimum laborarunt , vos iudicabitis.

Neque hoc loco illud est prætermittendum ex fine interno duas quoque alias disciplinæ anatomicæ partes oboriri, quarum alteram simpliciter & absolute vtilem appellat Gal.2.de anat.adm.2.& 3. & 4. de anat.adm.j. & est illa , quæ artem naturæ in ijs partibus perquirit, quarum cognitio rei medicæ per multum conducit , vt κατὰ τὸ πάρεργον hoc est ex addito obiter & per accidens naturæ sapientiam acquirat:alteram vero vtilem quidem appellat non tñ simpliciter sed ἐκ περιουσίας hoc est supra vsum , atque ita supra vsum vt etiam superabundantem ac superuacaneam appellet Gal.locis nuperrimè citatis, immo cap.3.illius 2. de anato.adm. inquit ex vsu non esse & parum commodi , idque rarò medicinæ exhibere , atque illam esse quæ minutissimas quasque particulas persequitur, veluti siquis scire vellet quot sint numero musculi linguæ , & quales specie, & propter quid natura tria in instrumento auditus ossicula efformarit, & cur talem structuram sortita sint, quem vsum habeant : & nunquid chartilaginosum quippiam penes cerebri glandem,quæ κωνάριον appellatur, vel osseum inhæreat,pari modo etiam in quolibet

bet corde chartilagineam ne, an osseam quandam particulam sit inuenire, an in magnis duntaxat, & quot membranas singulis cor orificijs habeat, quot venæ ipsum nutriant, aut vnde, quomodoue procedant, ac quo pacto nerui ex partibus illis, quæ a cerebro deorsum feruntur, eidem inferatur, & nunquid vesica fellis bile an sanguine nutriatur, & larynx humanus ex ossibus ne an chartiginibus fuerit compactus, & alia id genus propemodum infinita superuacanea & ad finem consequendum inutilia, quibus potius quam rebus vtilibus operam accommodare huiusce tempestatis anatomici solent, quemadmodum etiam tempore Gal. facere consueuerunt, vt ipse testatum reliquit 4. de anat. adm. j. & 2. eiusdem c. 2. & 3. quare quamplurimis ex istis difficultatibus obiter gratia sophistarum pensitatis vtiliorem partem ex proposito & industria pertractabitis, qualis est illa, quæ ad finem consequendum plurimum conducit.

Quòd si quispiam hoc loco ut ab huiusmodi calumnia se uindicaret Galeni authoritates chirurgis tantum accommodaret, ac si Galenus cum solis chirurgis sermonem haberet, is legat uerba Hal. locis iam citatis nec non 17. de usup. 1. & præsertim 2. de anato. adm. 2. & 3. vbi se excusat cur utilem ac inutilem anatomæ partem attigerit, is certe non uidebit Galenum afferere id gratia medicorum, qui physici nominantu, fecisse; sed gratia sophistarum fuisse coactum hæc talia curiosius inquirere cum iis non sit satis naturæ artificium in utilibus tantum didicisse, sed passim proponant cuius rei causa particula hæc uel illa facta sit aut cur talis & tanta: immo Gal, loco citato admonet optimo medico satis esse ut j. in partibus exterioribus mox in latentium uiscerum functionibus se exerceat, deinde usus singulorum cognoscat, qui ad affectuum dignotionem medicis conducunt. cum minuta illa & nimis accurata diligentia ad philosophos potius seu sophistas quam ad medicos pertineat; quid clarius? Gal. itaque non loqui ur ad chirurgos, sed ad medicos, & medicos optimos, id quod etiam eiusdem testimonio confirmari potest, etenim loco citato inquit Gal. anatomicas disciplinas, ad effectus curandos, ad eosdem noscendos ad præsagia non esse commodas iis, qui uaphrorum sophistarum contradictiones euitare cupiunt: sed cur iis non sunt commodæ? dicet quis; quoniam (inquit Gal.) sophistæ neglecta ratione, quam medici afferre possent, si uellent se excusare, cur in qualibet re minima & in quolibet theoremate non immorantur, statim conuertuntur dicentes hac de causa talium theorematum inutilitatem reprehendere medicos, quòd ea ignorent; quare medici ne physicæ rationis ignari uideantur in quaque re minutissima & in quolibet theoremate diutius immorari coguntur, quo fit ut parte utilissima & ad curandos morbos, & ad eosdē noscendos & ad præsagia neglecta, altera partem aggrediantur, iure itaque optimo dicebat Gal. hisce medices anatomicas disciplinas ad finem artis medicæ consequendum incommodas esse, quamuis eisdem commodæ sint ad artificium naturæ contemplandum. In hac re multus sum diutius & libenter immoror, & eadem sæpius inculco, quoniam tanta est nonnullorum curiositas ne dicam stultitia, vt si quis in dissecandis musculis ex uno duos efficit, aut renem alterum altero elatiorem obseruet, aut iecur pauciores, aut plures habere lobos; aut quasdam uenas habere ostiola, aut aliud quid huiusmodi hunc tanquam deum uenerantur, mirantur, suscipiunt, & tanquam stupidi obseruationem illam intuentur; à quibus tamen si petas quot quisque artus habeat musculos, quod sit illorum officium, qui

situs,

F

fuerint non augentur neque coalescunt, ergo nedum illarum fibram & membranam, verum etiam carnosum, genus ex semine, generatur. sed reliquarum partium seminalium caro cum ex Gal. loco citato & perire & regigni possit, non erit seminalis, sed sanguinea, quod argumentum totum ac vulgari ac communi propositione quæ tanquam axioma circunfertur, nisi videtur, nullam scilicet partem seminalem, si perit, regenerari posse.

Ego certe, vt ingenue dicam quod sentio, diu multumque laboraui, vt huiusce rei veritatem assequerer, quoniam videbam partes carnosas membranarum ligamentorum venarum, glandularum & aliarum huiusmodi partium aliqua ex parte perire & regenerari posse, quod mihi persuadebat nedum authoritas illa Gal. 10 meth. vlt. verum etiam multo magis experientia ipsa, quoniam dum ego curarem Nobilem quendam Patauinum, qui sinuoso & ingenti quodam vlcere sub axilla sinistra laborabat, obseruaui, postquam conualuit brachium aliqua ex parte fuisse contractum, neque motus omnes habere liberos & præsertim motum eleuationis: vnde existimarunt nonnulli ob affluxum materiæ id contigisse cum tamen nullus appareret tumor. Cui quidem sententiæ nunquam assentiri potui, uix enim fieri posse iudicabam contractionem illam & motus impedimentum in materiam affluxam esse referendum, cum nedum tumor, uerum macies potius illius articuli & humeri manifeste conspiceretur, quare non ob aliam causam id contigisse arbitratus sum, nisi propter seminalium partium carnis eliquationem, vel potius consumptionem, id quod seccessus curationis confirmauit, abiectis numquã medicamentis omnibus cum cæpit nutriri & brachium exercere in dies melius cepit habere, quare negare non possumus, quin portio illa carnosa partium seminalium & pereat, & regeneretur, quo loco notare debemus errorem illorum, qui in magna existimatione habẽtur, etenim dum vident articulum aliquem immobilem, aut membrum aliquod decurtatum quamuis tumor nullus appareat, sed macies potius & præcesserint ea, quæ liquare aut exsiccare potuerint, nihilominus totam culpam in affluxum materiæ aut gypseæ aut petrosę reijciunt, vnde ad emollientia, ad exsiccantia, ad diætam, ad ligni falsæ, cynam decoctum, ad aquas, ad luta exsiccantia confugiunt cum summo quandoque patientis detrimento, quod utinam non esset verum, quare cautè admodum est progrediendum. sed eo redeamus, vnde defluxit oratio, dicebamus, itaque partem carnosam partium seminalium & perire & regenerari posse, fatemur etiam os, chartilaginem neruum si omnia hęc fuerint discissa neque augeri, neque coalescere posse. Demus etiam verissimam esse propositionem illam & uniuersalem quæ asserit nullam partem seminalem regenerari posse; sequetur ne ob id partem carnosam partium seminalium ex sanguine generari? Ego certè huiusce illationis necessitatem non video, atque vt res dilucidior reddatur, breuioribus terminis viri Clarissimi ratiocinatio erigatur hoc modo. pars omnis seminalis si perit, regenerari non potest: sed portio carnosa partis seminalis si perit regenerari potest, portio itaque carnosa non est pars, seminalis si non seminalis ergo sanguinea. argumentum hoc prima fronte videtur concludere, nihilominus si cuius que termini pondera dialectica trutina examinabimus, argumentum in materia peccare uidebimus, cum ex quattuor termi nis constet, quod vt vnusquisque facile intelligere possit, medij termini æquiuocatio est aperienda: etenim pars seminalis dupliciter considerari potest, uno mo-

do pro tota parte simplici, quæ tamen ex fibris membranis & propria carne composita sit, queádmodum considerauit Gal. 10.met.vlt.& 2.de temp.3.altero modo pro qualibet, portione hoc est vel pro fibra, vel membrana, vel carne illa propria, quemadmodum considerauit idem met. Gal. 10.illo meth.loco citato. Cum itaque pars seminalis his duobus modis considerari possit, dubium non est in maiori propositione primo modo vsurpari, in minori vero altero modo, quod autem hoc verum sit ex eo facile demonstrari potest, quoniam si pars seminalis in maiori propositione acciperetur pro qualibet portione seminali, proculdubio propositio esset falsa, cum hoc & sensui, & ratione & ipsimet Gal. repugnare videatur sensui quidem qm̄ sensus iudicat partes seminales nutriri cum aīalia crescant, & decrescāt in maiorem molem attollantur; rationi vero, quoniam ratio vnum hoc postulare videtur, vt vnumquodque ex substantia nutriatur, qua primum genitum est, cum nutritio nihil aliud sit, quam continuo effluentis substantiæ redintegrario Gal. præterea, quoniam hæc fuit Gal. sententia 1.de sem.16.quòd si sic est, quis est ille, qui non videat portionem aliquam seminalem & perire & regenerari posse, alioquin nutritio non esset necessaria, ex quo multa sensui repugnantia sequerentur.

Sed hoc loco dicet quispiam, si portio aliqua seminalis regenerari potest, & aliqua non potest, quæ nam erit illa, quæ si perit, regeneratur, & quæ si perit, regenerari non potest & quam ob rem id fieri non potest? præterea cur partes semiaales vulneratæ interdum calescunt, & agglutinantur, interdum coalescere, aut agglutinari nō possunt, & quam ob causam? quibus omnibus explicatis nihil erit præterea quod in hac re desiderari possit.

Vt vero hæc omnia quæ proposita sunt rectè intelligantur, uidendum est, quæ nam sint illa, quibus generatio & regeneratio proprie conuenit, quod non erit difficile iudicare, si hoc modo argumentemur. Quod abscinditur & re vera regeneratur aut regenerari non potest, pars integra, completa & perfecta esse debet: sed caro partis seminalis aut fibra, aut membrana non est pars integra & perfecta. ergo hisce portionibus solis neque abscisionem neque regenerationem proprie conuenire dicendum est: maior probatur quoniam regeneratio sicut & generatio est opus facultatis generatricis & propterea tum alteratricis tum formatricis: sed formatio nō habet locum nisi in partibus integris & perfectis, cum virtus formatrix non magnitudinem tantum, sed numerum quoque, situm, conformationem & continuitatem exhibeat; partes itaque integræ & perfectæ solæ abscindi & regenerari aut regenerari non posse dicuntur, reliquæ uero aut reparantur, aut nulla ratione reparari possunt. Rationem hāc nobis quodammodo significasse videtur Gal. 10. illo meth. vlt. vbi ait, si caro partis seminalis perit, vice vaporis digeritur, si digeritur, ergo non proprie renasci aut regigni, sed potius reparari dicendum est. quare si Gal. in reparatione carnis vocabulo regenerationis quandoque utitur, im propriè loqui statuendum est. Constat itaque ex his, quæ dicta sunt, solam partem seminalem, quæ composita est ex fibris, membranis & carne esse illam, ad quam generatio & regeneratio nec non abscissio proprie pertinet, quod innuisse vnius est Hipp. 6. aph. 19. ubi habet hæc verba, si os, aut chartilago, aut neruus, aut genæ particula tenuis, aut præputium abscindatur, neque renascit neque regenerari potest: non enim dubitādum est, quin loquatur Hipp. de parte integra & perfecta. His propositis super est ut videamus nunquid pars hæc si perit, regenerari possit, nec ne. Cui quæsito ubi satisfecerimus,

mus,omnib.quæsitis satisfecisse videbimur,quod ut fieri possit,statuẽdum est cum Gal.1.de sem.12..13.& 16.venas & arterias uirtute illa,quam suscipiunt a testibus semen efficere, sed in exigua admodum quantitate & longo temporis interuallo,at que semen hoc primaria ratione in his partibus generari,ut partes seminales ex eo nutriantur,& quod in dies absumitur reparetur,quod si sic est, ergo partes omnes seminales si materiam tantum spectemus, reparari, ac regenerari posse uidentur, quamuis longo temporis interuallo,etenim vbi adest uis alteratrix & formatrix & materia,dummodo vitium non sit in instrumentis, actionem fieri est necesse, culpa itaque impotentiæ regenerandæ partis seminalis in materiæ defectum non est trãs ferenda, quandoquidem si nihil aliud obstaret, quod octo vel decem diebus ob materię paucitatem compleri nõ posset, mense vel anno & longiori etiam tempore natura tandem præstaret,quare non sunt audiẽdi illi qui dicunt causam proximam & immediatam huiusmodi impotentiæ esse materię defectum & inopiam,& quod sit verum audiant Galenum 1.de sem.11.12.13.& 16.ubi admonet partes seminales non regenerari, ubi fuerint abscissæ, quia tanta seminis quantitas simul collecta inueniri non põt, quanta ad vniuscuiusque quod interijt regenerationem sufficiat,& subdit,sed quod mora temporis paulatim erat colligendum, carne iam increscente supprimitur:quare Gal. vitium hoc non materiæ defectui tanquam causæ proximæ,sed morbo in mala compositione hoc est in numero adscribit, cuius quidem morbi causa per accidens est defectus materiæ seminalis,quæ non tam cito generatur,& in tanta copia, vt præoccupare possit locum,in quo caro ita succrescit,vt regenerationi partis seminalis impedimento esse possit; accedit & alia causa non minoris momenti, quoniam calor insitus vi cuius facultas cum alteratrix tum formatrix viuida & ad agendum robusta redditur,non est adeo validus,vt in prima fętus formatione vbi robustissimus existit tum propter vterum, tum propter materiam seminalem copiosam ibi collecta in quibus vtrisque rẽperitur, vt non iniuria dixerit Gal.j.de sem.11.12.13.& 16.quandoque fieri posse,etsi perraro id accidat, vt venę portio aliqua si perit, regeneretur in his in quibus materia seminalis copiosa generatur,& facultas formatrix robustissima redditur à calore insito robusto. regeneratio itaque partis seminalis abolitur tum frustrata tum impedita facultate for matrice,frustrata quidem ob externum errorem, hoc est propter calidum insitum debile, impedita vero ob morbum in numero.

At si de regeneratione carnis partium seminalium loquamur,neque frustrari;neque impediri facultatem videbimus;non quidem frustrari, quoniam calor insitus non est adeo debilis, quin ad reparationem carnis sufficiat;hinc enim non requiritur calor adeo robustus, quemadmodum in regeneratione, ac reformatione totius partis,non impediri vero, quoniam nihil est,quod illius carnis regenerationem im pedire possit quamuis tarda & longa futura sit illius regeneratio, quemadmodum in febribus hecticis secundi gradus contingere solet, imo adeo tarda est illius carnis deperditæ reparatio vt Gale.10. meth.10.dixerit solidarum partium siccitatẽ nulla ratione consumatè sanari posse,quo loco locutus est de siccitate, quæ fit per consumptionem partis carnosæ partium seminalium,quo tempore vix fieri potest, quin humiditas fibrarum & membranarum incipiat exsiccari; etenim si loqueretur de fibrarum & membranarum siccitate, cum humiditas illa fibrarum & membranarum sit radicalis ex semine genita, beneficio cuius anima corpori copulatur,

autem ex illius interitu calor insitus penitus deleatur, non eo modo loqueretur Gal. cum homines mori sit necesse, non autem vllo modo sanari. quare dicebat Gal. 10. meth. vlt. partium seminalium fibras nequaquam liquari posse sicut carnes, quoniam animal ipsum priusquam hæ prorsus fuerit exsiccate vt pereat, est necesse.

Hactenus habemus cur partes integræ seminales si pereant, non regenerentur: cur caro illarum partium reparari possit, & qua ratione fibræ & membranæ nullo modo reparentur.

Superest, vt videamus cur diuisæ coalescant, discissæ vero nullo modo coalescere valeant, quod vt intelligamus confugiamus ad Gal. 6. aph. 19. vbi distinguit diuisionem à discissione; & per diuisionem intelligit, quoties pars aliqua non est ex toto separata, vt exempli gratia, si vulnus fuerit in ventriculo, quod vsque ad partem interiorem non penetret, tunc diuisio nominabitur, quod si vulnus ad partem interiorem penetraret discissio appellabitur: horum vocabulorum etymologia proposita non est difficile causam reddere cur natura diuisa corpora non autē discissa copulare & coniungere potest, & ratio est: quoniam impotentia hæc agglutinandi non est materiæ defectui, neque caloris insiti debilitati, neque intemperiei adscribenda, cum & materia sufficiēs & calor satis robustus adesse possit, & nullā subesse intemperiem partis, neque tamen fiet agglutinatio, quare tota culpa in prauam cōpositionem est referenda, & propterea vel in morbum in situ, vel in situ & numero simul (dantur enim morbi huiusce generis partium similarium per accidens) in situ quidem solum quando labra partis discissæ ita inter se distant, vt actio, quæ fit per contractum, nulla sequatur, etenim partes sunt adeo internæ, vt medicus arte nulla eas inter se distantes vnire possit, in situ vero & numero, quando vena, vel arteria, vel neruus per transuersim fuerit sectus, quoniam tunc præterquam quod partes, seu capita inter se distāt, succrescens caro ita intercedit, vt illorum commissionem & agglutinationem impediat.

His itaque explicatis concludendum est, partes seminales, si pereunt, posse & non posse regenerari, & quando non regenerantur, hoc vitio materiæ non esse adscribendum tanquam causæ proximæ & immediatæ; sed vel insito calori, vel prauæ compositioni attribuendum, & propterea discrimen illud partium seminalium nō videtur habere locum, quod etiam confirmauit Gal. 6. de plā. 8. vbi dicebat venas non rubrum humorem, sed candidum & viscosum procreare, ex quo nimirum & ipsæ procreatæ sunt & augentur, & aluntur, caro itaque partium seminalium non generatur ex sanguine tanquam ex materia proxima, sed ex eadem materia, qua fibræ & membranæ.

Ex hoc etiam discursu illud obiter animaduertendum, quod ad finem artis plurimum conducit, & in quo plerique medici etiam magni nominis peccare solent, ne in affectibus ventriculi, vbi suspicio est, ne siccitas cum intemperie frigida coniūcta sit, calefacientibus, & exsiccantibus curatio tota instituatur, propterea quod cuius merito caliditatis, quæ vehementius agit, quam siccitas vtilitatem & solamen aliquod ægrotantes percipere videantur, nihilominus tantum est detrimentum, qđ ex siccitate imprimitur, vt intemperies illa, cum pars carnosa fuerit absumpta, & fibrosa ac membranosa incipiat exsiccari, insanabilis prorsus euadat, ac breui mortem inducat, quare in huiusmodi affectibus non medicamentis solis sed alimentis medicatis est progrediendum.

Differentiæ

Differentiæ partium humani corporis à causa efficiente ac finali desumptæ. Cap. 18.

TErtio loco diximus partium differentias capiendas esse à causa efficiente, quã statuimus esse vim generatricem, quæ ad agendum duplici vtitur facultate, alteratrice nempe, ac formatrice, quarum altera temperaturam, & quæ temperaturam cõsequuntur, compositionem altera, & quæ compositioni necessario accidunt tribuit: quare & à facultate, & ab his quæ ab ipsa prodeunt partium differentiæ tan quam à causa efficiente sunt capiẽdæ, cuius effectus cum sit operatio, ob id eædem quoque erunt partium differentiæ, quæ à fine capiuntur. & quoniam operationes sunt nobis notiores quam facultates, ob eam causam partium differentiæ sunt nobis proponendæ. Dicamus itaque partes quasdam operationes habere communes, quasdam determinatas: communes habent quæ à facultatibus communibus guber nantur, cuiusmodi sunt omnes partes simplices, determinatas verò dicuntur habere partes instrumentales; quarum aliæ proprium: aliæ publicum opus habent: quæ proprium opus habent adhuc duum sunt generum: etenim aliæ opus proprium tantum habent: aliæ proprium & publicum, quæ proprium munus tantum habere dicuntur, sunt illæ, quæ vim & opus suum cæteris partibus non communicant, cuiusmodi sunt omnes partes instrumentales præter cerebrum, cor, hepar, & testes: quæ verò munus publicum habent adhuc duum sunt generum; aliæ quidem munus publicum tantum habent, & sunt illæ, quarum virtus cæteris partibus communicatur cuiusmodi iecur & testes: aliæ proprium & publicum vt supra diximus veluti sunt cor, & cerebrum. Etenim quod iecur publicum tãtum officium habeat patet ex hoc, quoniam iecur vim suam cæteris partibus impartitur, & efficit sanguinem, qui vtilis est ad vniuersum corpus nutriendum. præterea principium est fruitionis rerum iucundarum, & vim hanc ventriculo ac testibus impartitur, vt propterea cũ quis in appetitu ciborum & rei venereæ vehementius mouetur quã par sit is incontinens & intemperans nominatur: nec inconueniens est iecur duplicem habere operationem; quarum altera ad vitam, ad meliorem vitam altera pertineat. Quod verò & testes virtutem suã cæteris partibus suggerant testis est Gal. ij de sem. 12. 13. & 16. immo ratio hoc idem persuadere videtur; nam testibus exectis oblectatio rei venereę aboletur, cũ hac masculus & virilis animus extinguitur, totaque viriditas & flos roboris cum testibus excinditur, quinetiam eorum natura in frigidiorem conuertitur, neque sanguis bonus, neque calor suauis, aut formæ dignitas apparet, neque solum temperatura mutatur, verum etiam propriæ substantiæ natura inuertitur, quod facile intelligitur ex sapore & odore carnium tum exectorum, tum eorum animalium, quibus testes nondum execti sunt, quare si testiculis exectis totius corporis robur & temperamentum propriaque substantia immutatur, dicendum est cum Gal. 2. ad Gla. 2. testes natiuam suam virtutem cæteris corporis partibus impartiri. At cor & cerebrum & proprium & publicum munus habere dicuntur quod alterum per se vocauit Gal. 7. de Pla. 5. alterum per aliud: cor munus per se aut proprium habere dicitur, si consideratur vt est subiectum, seu principium tenoris animæ quem τόνον dicunt, & in ijs quæ ratio iusserit inuictæ constantiæ: & in perturbationibus quasi feruoris cuiusdam insiti caloris, cum anima vindictam sumere de eo cupit, qui videtur offendisse: quæ ira appel

latur;

latur:per aliud uero ſeu publicum munus habere dicitur ſi conſideratur, ut membris ſigillatim omibus calorem, arterijſque illam pulſuſque agitationem ſuppeditat.Idem dicendum eſt de cerebro, ſiquidem cerebrum habet munus per ſe quidem & proprium vt imaginationem,memoriam intellectionem cogitationemque cauſet: per aliud vero ſeu publicum vt generat ſpiritum animalem vi cuius ſentientibus animalis membris ſenſus, iiſque quæ per appetitionem mouentur motus originem præſtat. vt partes illæ, quæ communes habent operationes, communes paſſim nominentur:quę vero determinatas,proprię & particulares. Inter quas illæ præcipuæ, principales ac præſtantiores dicuntur quæ publicum officium habent, nec non quæ priuatum:ita tamen vt abſque vita & ſpeciei conſeruatio tueri non poſſit,cuiuſmodi eſt cerebrum, cor hepar, vterus & teſtes:inter quas ſi vitam ſpectemur cor, iecur, & ventriculus primum locum obtinent; ſin meliorem vitam, cerebrum; ſi tandem ſpeciei conſeruationem,teſtes,& vterus. Ex qua diſtinctione multa quæ in lib.Gal.inter ſe pugnare videntur facile conciliare licet.

Quo vero ad temperaturas,nos dicimus partes alias eſſe calidas, alias frigidas; calidas quidem vel humidas vel ſiccas,ſic & frigidas. At calidæ partes,de quibus nos in præſentia loquimur,ſunt cor, caro ſimplex iecur,lien,renes & cutis, & ſicut cor eſt pars omnium calidiſſima, ita cutis omnium temperatiſſima: quæ vero interiectæ ſunt prout magis vel minus ſecundum huius ordinis diſpoſitionem à corde recedunt magis & minus calidæ dicuntur.Inter frigidas autem partes numeratur cerebrũ,ſpinæ medulla,nerui molles,duriores,vena, arteria,membrana,tendo, vinculum ſeu ligamentum & cartilago, prætermittimus autem oſſa, pilos,pituitã & alia huiuſmodi, quoniam de partibus,vt diximus, viuentibus ſermonem habemus inter partes autem frigidas omnium frigidiſſima eſt cartilago, omnium vero minus frigida cerebrum,reliquæ magis & minus frigidæ prout magis & minùs ſecundum ordinem propoſitum à cerebro recedunt. Partium autem ſiccarum ordo eiuſmodi exiſtimari debet, vt cartilago ſit omnium ſicciſſima, cartilagine ſyndesmos ſiue ligamentum,poſt quod tendo,huic ſobſequitur membrana, arteria,vena, neruus motui deſtinatus,abhinc ſuccedit cutis temperata. Hinc in humidum iam abit neruus ſenſui deſignatus, cor hoc ipſo iam eſt humidius, deinde ſunt renes, iecur,lien,caro ſimplex,his ſuccedit pulmo,poſt hunc eſt ſpinæ medulla,dein cerebrum omnium humidiſſimum, & hæ ſunt ſimplices temperaturæ, quibus cognitis non eſt difficile cognoſcere compoſitas:nam cerebrum diximus inter frigidas partes minime omnium frigidum eſſe: maxime autem omnium humidum, Cor autem omnium partium calidiſſimum,non tamen omnium partium ſicciſſimum aut humidiſſimum,humidius tamen neruis ſenſibus deſignatis,minus tamen humidũ quam renes,iecur,lien,& reliquæ propoſitæ partes, vt in his repetendis non ſit tẽpus conterrendum. Neque eſt vt omnium corporis partium temperaturam proponamus, quoniam ex dictis vnuſquiſque ſuopte ingenio illarum temperaturam inueſtigare poterit:nam cui dubium eſt,aures, narium pinas, cutem & id genus alia eſſe ſiccioris tẽperaturæ quã partes carnoſæ,cũ ex partibus iã ſicciorib. propoſitis conſlatæ ſint,vt in his,quę vnuſquiſque per ſe põt inueſtigare non ſit immorandũ.

At ſi compoſitionem ſpectemus à numero & differentiæ non ſunt deſumendæ propterea quod curationem non immutant; quare neque ab vnitate: verum ſi conformationem contemplemur,dicimus partes quaſdam habere ſpatia, quaſdam

omni

omni ſpatio carere,& ex his quæ habent ſpatia quaſdam ab vtraque parte habere ſpatia tam intra ſe quàm extra ſe;quaſdam ab vna partetantum,& quę ab parte tantum habent alias intra ſe, alias extra ſe ſpatia obtinuiſſe,in neutra parte cauæ ſunt vt nerui & præſertim in artibus , ex vtraque parte cauæ omnia ferè viſcera ,tā enim intra ſe quam extra ſe latā ſpatia obtinent:intra ſe vero cauæ ſunt veluti venæ & arteriæ in artubus; poſtremo extra ſe cauæ ſunt veluti nerui in peritonæo, huiuſmodi namque partes pro diuerſa conformatiue modo magis modo minus ſiccantia tā quam ſigna modo maioris modo minoris humiditatis deſiderant ; vt ſcriptum reliquit Gal.2. adGlau.2.

Quod ſi poſitionem ſpectemus,partes uel erunt dextræ,vel leuæ,vel ſuperiores vel inferiores,vel ante vel retro , vel in ſuperficie poſitæ,vel in alto corpore demerſæ, huiuſmodi enim differentiæ plurimum conducunt ad rectam materierum adminiſtrationem,& hæ ſunt partium differentiæ quæ ab efficiente tum principali cum inſtrumentali ac fine capiuntur .

De corpore humano tanquam de cauſa motum efficiente. Cap. XIX.

DICTVM fuit corpus humanum in definitione operationis conſiderari poſſe ut uimhabet cauſæ materialis in qua , principij ut quo,& ut quod. hactenus locuti ſumus de corpore humano ut uim habet cauſæ materialis:quare ſupereſt,ut de eodē loquamur, cauſæ efficientis ut quo & ut quod, de corpore humano ut uim babet agentis ut quod non eſt, ut multa dicamus, quoniam ſi cognouerimus facultatem non agere abſque inſtru mentis accommodatis conſtabit quoque quod agit eſſe quid compoſitū quod agens ut quod ex forma ipſa loquendi nominatur quoniam compoſitum ut diximus eſt quod agit. Reliquum eſt itaque ut deeodem corpore loquamur ut uim habet agētis ; ut quo quod nihil aliud eſt quam agere de forma quæ & ipſa ex forma loquendi dicitur principium ut quo,quia forma eſt illa, qua compoſitum agit, & per formam intelligimus animam, ſeu naturam & ſubſtantiam quandam ſimplicem communem & ſuapte natura impaſſibilem & diuinam,etenim uis & ſubſtantia illa,quæ corpus noſtrum finxit ut ſcribit Gal.in lib. de utilitate reſpirationis ult.& loco de formatione fętus ulti.adhuc in cōformatis particulis manet, ijſque ad proprias functiones obeundas utitur, at quænam ſit huius ſubſtantia,quæ virtus,vtrum ſeparetur an inſeparabilis exiſtat,non eſt in præſenti diſcutiendum,quando negotium hoc ad philoſophos potius quam ad medicos pertineat:ſat eſt igitur nobis vt intelligamus ſubſtantiam & formam ſuperadditam & diſtinctam a formis elementarjs,quę ex permixtione quatuor elementorum ſeu qualitatum oboritur, alioquin non eſſet mixtio niſi ad ſenſum vt voluit Ariſto. j.de gen.in fine,& Aue.7.meth.com.60.& in 3.cœli com. 67. & j.de anima 77. hoc admonere volui, quoniam ſunt nonnulli,qui præter temperaturam aliam formam non agnoſcunt,cum tamen dicere debuiſſent formam non agere abſque temperatura tanquam organo neceſſario,quando forma quæcunque ſit abſque proprijs organis agere nequeat quemadmodum docet Gal.j.de cauſis pul.cap.4.neque ſi dicas intellectum, neque enim imaginari, neque memorari , neque ratiocinari quilibet recte poteſt, quotieſcunque inſtrumenta labem aliquam fuerint perpeſſa, immo ex illorum lęſione animam finem ſuum fruſtrari eſt neceſſe, & quod ſit verum, facile ex

hoc constare potest, quando videmus, vt admonet Gal. in lib. de symp. diff. 3. ratiocinationem lædi illæsa existente imaginatione quemadmodum phrenitico contigisse docuit Gal. quo in loco narrat etiam fieri posse vt memoria lædatur alijs functionibus illæsis; & sic de imaginatione. Sed cum operatio semper lædatur, dum facultas proprio fine destituitur, destituitur aūt vel ob errorem externum, vel vitio constitutionis, hinc fit, vt quęlibet facultas ad hoc vt rectè operari possit, peculiarem & propriam constitutionem desideret, qua secundum naturam se habente rectè operetur, dummodo nullus error externus contingat: eadem vero a naturali statu recedente animam proprio fine distitui, fit necesse. quare ad medicum pertinet cognoscere in quibus nam posita sit huiusmodi constitutio, & quæ nam sint illa, quæ constitutionem hanc plurimum adiuuare possent; id quod vt perfecte intelligatur, prius videndum est, cum unica sit forma quot facultates habeat, & quomodo inter se distinguantur. quibus cognitis patebit quoque quotuplex sit operatio, quando hæc duo sub eandem rationem cadant. Duplicem itaque unius animæ cōmunis statuunt facultatem medici, cuius subiectum & radix est cor, quarum alteram animalem appellant; alteram naturalem: illam quidem animalem appellant: quoniam est principium operationum illarum, quæ solis animalibus conueniunt: hanc vero naturalem, quod propria sit corporum viuentium, etiam si animalia non sint, veluti sunt plantæ.

Rursus facultas animalis, cuius domicilium & sedes est cerebrum duplex est. altera quidem communis; altera definita. Communem facultatem animalem appellamus, quę principiū est operationis animalis in genere neruoso primo, per se & nō per accidens; hæc enim apta nata est ad quamlibet operationem animalem sine vllo discrimine celebrandam: definitam vero eam esse putamus, quę principium est operationis animalis determinatæ a proprietate cuiuslibet partis circūscriptum ac pręfinitum, cuiusmodi est facultas ratiocinatrix, imaginatrix, memoratrix, visiua apprehensiua; & quæ his cognatæ sunt, quæ facultates definitæ, appropriatæ & particulares dicuntur, nec non illarum partium, in quibus principia existunt proprietates, vt exempli gratia visio dicitur fieri à facultate definita, & sic a proprietate quoniam facultas communis ad hoc vt visionem efficiat hanc definitam temperaturam, hanc determinatam compositionem, & unitatem, hunc definitum calorem innatum per participationem spiritus animalis seu visiui vt vocat Gal. 7. de pla. sub finem 7. c. lucidum factum, & hanc diaphaneitatem per quæ omnia redditur appropriata & particularis, & ob id etiam proprietas quodammodo oculi nominari potest. Ommitto proportionem quæ oritur ex compositione simplicium corporum, ui cuius compositum accommodatum redditur ad hanc formam potius, quam ad illam suscipiendam; quoniam & si hæc proportio necessario ad formam introducendam desideretur, non tamen ad operationem celebrandam tanquam instrumentum conducit, & ratio hæc est, quoniam si esset instrumentalis operationis causa mutationem aliquam pateret, sed stante uita mutari non potest: non erit itaque instrumentalis operationis causa, quod si hoc uerum est, neque dabitur morbus à tota substantia. sed hac de re commodiori loco. Constat itaque dari duplicem facultatem, quarum altera communis; altera determinata nominatur. rursus facultates determinatæ uel ad cognitionem, uel ad motum pertinent, quare motrices hæ, illę cognoscentes appellantur; rursus cognoscentes vel internæ, vel externæ dicuntur, internæ quidē

sunt ratiocinatrix, imaginatrix & memoratrix: externæ vero sunt omnes facultates sensitiuæ at motrices tot esse dicuntur, quot sunt instrumenta,quæ uoluntario motu mouentur.

Facultas vero naturalis uel pertinet ad uitam vel ad meliorem uitam,si ad meliorem uitam,communi nomine concupiscibilis nominatur vt scribit Gal.ex mente Plat.in lib.quod animi mores.cap.2. quemadmodum etiam ratiocinatrix :hæc autem concupiscit vel victoriam vel voluptatem,si victoriam irascibilis, sin voluptatem communi nomine κατ' ἐξοχὴν cōcupiscibis nominatur,quoniam hæc pars animæ plures habet facultates & magis varias quam aliæ;hæc autem vtraque quamuis naturalis existat:nulla tamen est ex illis quattuor,quæ proponuntur a Gal.in lib.de facultatibus naturalibus, cum illæ non uictoriam,sed corporis nutritionem concupiscant,neque imperio imaginationis,sed sola ductæ naturæ necessitate mouentur, neque sedem aliquam determinatā habeant, sed per omnia membra diffundantur per carnem & neruos per ligamenta & ossa,per arterias & venas & per quamlibet aliam corporis partem vt docuit Gal.4.de præsag.ex puls.12.at facultas irascibilis, sedem habet in corde, concupiscibilis in iocinore, quæ sit ratione gubernantur hæc quidem temperantiam; illa fortitudinem parit:quod si a mediocritate recedāt vel ad excessum, vel defectum uergant,si excessu quoddam mouentur, illa quidem iram generat;hæc vero cupiditatem & libidinem promouet:quod si ex defectu illa futuri mali timorem,hęc odium mulierum & cibi ac uini offensionem & stuporem inducit,quo qui tenentur suauitatem cibi non sentiunt.

Quod si facultas illa consideratur,vt ad vitam pertinet,adhuc duum est generū, quoniam altera ad complendam indiuidui naturam pertinet; altera primum naturæ instrumentum subministrat,quarum hæc vitalis, illa per excellentiam communi nomine naturalis nominatur: has tres facultates animalem inquam vitalem & naturalem & species & partes appellauit Plato; species quidem propter diuersas operationes,quæ prodeunt ab illis:partes uero ea ratione qua facultas communis ex his tribus completur & integratur.sed ad rem. Vitalis rursus duplex est uel primū & præcipuum instrumentum eiusque pabulum generat nempe calidum cordis innatum una cum spiritu uitali & sanguine arterioso,vel calidum illud conseruat ac tuetur, si calorem illum, spiritum & sanguinem generat, per excellētiam uitalis nominatur,sin conseruat,pulsifica, utraque sedem habet in corde quamuis pulsifica etiam per arterias diffundatur. Rursus naturalis vel indiuiduum generat, uel illud conseruat & absoluit,si generat dicitur procreatrix,cuius subiectum est semen,hæc autem pro determinata partium constitutione uarias sortitur. appellationes, ut in carne dicatur carnifica in osse ossifica,& sic de singulis.utitur autem facultas hæc duplici facultate nempe alteratrice & formatrice, per alteratricem habet id quod generatur & temperiem,& quæ temperiem consequuntur: per formatricem uero ea quæ necessario accidunt nempe unitatem & compositionem, vtraque sedem habet ut diximus in semine dum compositum generatur: in singulis vero corporis partibus postquā genitū est. Quòd si compositū conseruat, consideratur illud vel ut est in vtero, uel vt est extra vterū, si ut est in vtero primas partes sustinēt uis alteratrix & formatrix,quibus inseruiunt auctrix.& nutrix,ꝙ si consideratur ut est extra vterum, consideratur ab ortu vsque ad ætatis vigorem,vel a vigore vsque ad interitum,si con

ſideratur ab ortu ad vigorem vſque auctrix uirtus dominatur, ſubſeruiunt vel auxiliantur alteratrix & nutrix, quòd ſi conſideratur ab ætatis vigore vſque ad interitum ſola alteratrix & nutrix dominatur;at facultas hæc alteratrix nõ eſt eadem cum illa,quæ in generatione;quoniam illarum opera sũt diuerſa,etenim in generatione, quod os non erat per alterationem poſtea factum eſt os,in nutritione vero ei quod iam factum eſt, id quod affluit efficitur ſimile,quare in generatione alteratricem illam appellamus generatricem,in nutritione uero aſſimilatricem, cui famulantur tres facultates attractrix nempe retentrix,& expultrix, quarum opera ſunt appoſitio,agglutinatio ſiue adhærentia & adſimilatio,etenim ut fiat adſimilatio eius quod nutrit agglutinatio ſiue adhærentia præcedat oportet; ſicut etiam ut illa fiat, appoſitio:ſuccus enim particulam aliquam nutriturus vbi è vaſis excidit in totam eam partem primum diſpergitur,mox adiungitur, deinde adglutinatur,demum aſſimilatur;quod uero appoſitum vel agglutinatum eſt quaſi & veluti nutrimentũ m dicitur, reliquũ omne ſiue in venis, ſiue in ventriculo contineatur futurũ alimentũ appellari poteſt.Vt de animæ facultatibus illud dicendũ ſit, quod ſæpe docuit Gal.& ratio ipſa dictare videtur tot ſcilicet eſſe facultates animę,quot operationes,eaſque tum animam exercere,quando neceſſitas poſtulare uidetur, illarũque inſtrumenta tunc generari,quando hoc idem vſus ipſe deſiderat,ut vnica ſit anima,& tota in toto,& tota in qualibet parte,cũ totũ corpus ipſa virtute ſui colluſtret ad qualibet exteriora progreſſa quẽadmodũ aer dũ ſole illuminatur, etenim ſicut aer per lumẽ ſolis efficit, vt res omnes primo uideantur & cognoſcantur,ſic anima per ſpiritualẽ & diuinam corporis harmoniam facit ut partes tũ ſimilares,tũ diſſimilares operentur,& ſicut lux ſolis quæ incorporea eſt ſuum complens effectum nullam patitur diuiſionem,ſic & anima, & ſicut lumen ſolis quod eſt incorporeũ,ſeparatur ab aere,& ab omni oculorum intelligentia ſine ſui corruptione,ſic anima,quæ incorporea eſt,ſeparatur à corpore ſine corruptione,& ſi qua facultas uidetur interire alijs illæſis exiſtentibus,id non alia ratione contingit,niſi quia læſo inſtrumento quo vtitur ad ſuam operationẽ exercendã,ipſa munere ſuo deſtituitur,quare ſi facultatẽ impediri,vel munere ſuo deſtitui,licet interitum appellare non erit difficile viros grauiſſimos eoſdemque doctiſſimos inter ſe conciliare.

De Proprietate. Cap. XX.

VErum quia ſuperius dictum fuit facultatẽ determinatã proprietatẽ quoque appellari poſſe,cumque proprietatibus nomen non vno & eodem modo ſemper vſurpetur,ob id ne quis nominis æquiuocatione quandoque decipiatur,videndum eſt quot modis proprietatis vocabulum vſurpari conſueuit; propoſitis namque huius vocis ſignificationibus,omnes, quę contingere poſſunt difficultates corruent.

Proprietas itaque apud Gal.duobus modis dici videtur, vno quidem modo pro facultate determinata & appropriata accipitur, vt ſupra diximus, veluti cum dicimus ventriculum habere proprietatem chilificandi, hepar ſanguificandi, & ſic de ſingulis partib.qđ videtur nobis ſignificaſſe Gal.4.ſimp. 15.altero vero mõ pro ac-

cidente

cidente quoddam proprio quod eſt obiectum viſus & quandoque tactus quemadmodum vſurpauit Gal. 5. de lo. aff. 4. vbi dicebat in regio morbo excrementorum proprietatem eſſe conſiderandam & 6. de lo. aff. 4. vbi docebat proprietatem ſubſtantiæ ramentorum eſſe proprium affectæ partis indicium cum partes a veſica auulſæ lamis, à renibus earunculis ſimiles exiſtant & 7. de pla. 8. vbi aſſerit vnumquodque inſtrumentum in ſubſtãtia proprium quoddam habere ita vt nihil aliud in vniuerſo animalis corpore reperiatur, nec non 5. meth. 5. vbi cum eandem nobis proprietatem ſignificare vellet dicebat nos inſtrumentis aliquando vti pro partis ipſius proprietate, alijs ad vterum alijs ad veſicã, alijs ad omnia inteſtina craſſa, multa quuoque alia ſunt loca, quibus proprietatem ex mente Gal. confiemare poſſum, quæ dedita opera prætermitimus. Cum itaque proprietas hæc capiatur pro accidente quoddam proprio, quod per anatomen conſequimur, videndum eſt quo modo proprietas hæc ad operationem celebrandam conducat, qua in re dicendum eſt non alia ratione conferre poſſe, niſi vt eſt ſignum quoddam eorum quæ per ſe ad operationem conducunt, & ſic per accidens, quemadmodum manifeſte conſtat ex locis nuperrime citatis. Cum itaque proprietas hæc vim ſigni habeat, & ſignum ſit eorum quæ ad aliud referuntur, quot erunt illa quorum proprietas hæc ſignũ eſſe poteſt, tot modis proprietas hęc dicetur; at duo ſunt potiſſimum, quibus competit huiuſmodi proprietas pars nempe principalis organi ac totius organi compoſitio, proprietas itaque duplex erit dicenda, altera quidem partis præcipuæ ac ſimilaris: altera compoſitionis: quare proprietas præcipuæ partis inſtrumenti erit ſignum cuiuſdam determinatę formæ, peculiaris, & organo illi appropriatæ, quæ ſenſu nullo percipitur: nec non certæ cuiuſdam ac determinatæ temperaturæ, quæ præter mixtionem corporum ſimplicium & illorum proportionem in generatione animalis præparat materiam ad hanc potius, quam ad illam formam ſuſcipiendam, vt monuit Aui. lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 15. & lib. 2. tract. 1. cap. 1. & in lib. de viribus cordis tract. 1. cap. 10. quare & hæc forma determinata illius partis proprietas nominari poteſt: nec non determinata illa temperies, quam temperiem dixit Gal. 3. de ſimp. ca. 1. eſſe illam quæ facit proprietatem corporis inſtrumenti ſeu partis principalis inſtrumenti, quam ſententiam dupliciter interpretari poſſumus; etenim ſi per proprietatem intelligimus formam determinatam, nos dicimus temperiem hanc formam efficere, quia præparat & diſponit materiam ad hanc formã ſuſcipiendam; quod ſi per proprietatem intelligimus accidens quoddam propriũ partis principalis, dicimus temperaturam proprietatem hanc efficere, quoniam eſt quodammodo cauſa illorum accidentium, quæ ita illi parti ſunt appropriata, vt alteri parti conuenire non poſſint, ſunt enim accidentia ex genere illorum, quæ temperaturam conſequuntur: quoniam vero forma illa determinata dicitur agens principale, & certa illa temperies inſtrumentale, hinc fit vt ſi proprietatem conſideremus vt formam deſcribit, dicitur ad operationem conferre vt agens principale ſed per accidens: at ſi conſideratur vt temperiem deſignat dicitur conferre vt agens inſtrumentale per accidens: rurſus hæc forma dicitur cauſa efficiens principalis cuiuſcunque operationis, quemadmodum temperatura cauſa efficiens inſtrumentalis; hæc denique forma eſt cauſa vt vnumquodque hoc ipſum quod eſt, eſſe dicatur, quæ omnia præter rationem non fuiſſe prolata exiſtimandum eſt, quando non parum ſint collatura ad ea quæ paulo inferius dicentur,

Sed quispiam hoc loco dubitabit si forma & temperies sunt causæ efficientes cuiuscunque operationis: quomodo dixit Aui.lib.illo j.operationes alias qualitatibus, alias materiæ, alias toti formæ seu substantiæ esse attribuendas, & Gal. 13. meth.6.& primo simp.3.& 8.per loca 8.quædam vel qualitatibus vel tota substantia esse contraria.

Huic dubitationi quæ non leuis est sic satisfieri posse arbitramur, si dicamus in compositis proportionem corporum simplicium & illorum qualitatum temperaturam interdum ita præparare materiam ad formam suscipiendam, vt forma illa sit insignis admodum actiuitatis; interdum vero admodũ remissæ, quo fit vt vis qualitatis seu temperaturæ interdum sese magis ostendat quam actio formæ, interdũ vero contra, quare etsi forma semper sit causa efficiens principalis & temperatura instrumentalis, nihilominus qualitatibus operationem adscribimus si vis qualitatum seu temperaturæ insignis ita vt actionem formæ quæ debilis est obtenebret, vt exempli gratia forma piperis dum agit prodit suam operationem, quæ cum ab insigni caliditate obruatur, ob id in pipere nullam aliam operationem agnoscimus præter caliditatis motum, in theriaca vero cum ex proportione mixtionis simplicium corporum, & ex præparatione complexionis tum primæ tum secundæ vis formæ sit admodum insignis qualitatis vero debilis, hinc fit vt operatio formæ sese ostentet; quare nedum motus caliditatis obseruatur, verum etiam actio formæ in substantia cordis roboranda ita vt cum veneno pugnare possit, quare sicut actio illa qualitatibus attribuitur, hæc altera toti substantiæ seu formæ adscribi posse videtur, & huiusmodi actio formæ à tota substantia dicitur, quia forma est illa qua vnumquodque est ipsum quod est. idem quoque de magnete dicẽdum est: etenim cum ex proportione elementorum & complexione qualitatum mixtum hoc eam susceperit formam, quæ maximam cum forma ferri similitudinem habeat, fit vt per sua simulacra & species magnes ferrum, & ferrum magnetem attrahat prout huius vel illius vis maior fuerit, in maiori enim quanto maior virtus, & quoniam operatio formæ magnetis insignis est, illius vero temperaturæ debilis, hinc fit vt operatio formæ magnetis obseruetur in attractione ferri, non autem operationem qualitatis, quamuis magnes etiam suis qualitatibus agere possit, immo ad quamlibet operationem celebrandam vt diximus est necesse vt forma tanquam instrumento principali utatur temperatura, cuius uis cum debilis sit interdum non obseruatur. A materiæ uero dicebat Aui. fieri actionem cum pars aliqua obiectum in sui substantiam conuertit, ueluti cum caro commutat sanguinem in suiipsius substantiam, quare prout operatio qualitatis, uel materiæ, uel formæ sese magis ostendit, nos dicimus operationem hanc fieri uel à temperatura uel à materia uel à tota forma seu substantia, seu proprietate substantiæ quare proprietas illa, quę nobis formam illam determinatam designat, ad operationem conferre dicitur sed per accidens. Alio modo diximus proprietatem considerari pro accidente scilicet proprio compositionis quæ proprietas signum est determinatę compositionis huius uel illius partis, & sicut compositio partis determinata per se conferre dicitur ad operationem huius uel illius partis, sic proprietas, quæ huiusmodi compositionẽ describit, per accidens conferre dicitur, atque in anatome huiusmodi proprietas consideratur quando per sectionem eiusmodi proprietas obseruari potest, cum sit illa, quæ nos ueluti manu ducit in cognitionem determinatæ cõpositionis; proprietatem

tatem hanc significauit:nobis Gal.5. illo meth. 5. non autem 6. de Pla.8. quemadmodum forte quispiam existimare posset,cum ibi per proprietatem substantię,corporis,& carnis instrumenti idem intelligat & quamuis ibi Gal.nonnulla verba proponat quibus videtur distinguere carnem instrumenti ab illorum substantia & corpore cum ait & illorum quoque caro peculiarem quandam habet proprietatem ac si dixisset pręter substātiam & corpus ventriculi,lienis,hepatis, cerebri & aliorum id genus, illorum quoque caro peculiarem quandā habet proprietatem; nihilominus si verba Galeni recte expendamus, quæ paulo inferius in eodem cap.scribit videbimus eundemmet Gal.fateri carnem hepatis nō propriū hepatis corpus.quare si licet dicere quod sentio, sic Galenum tueri posse arbitramur,si dicamur per substantiam seu corpus partis instrumentalis Galenum intelligere præcipuam partem instrumenti,quæ composita est ex carne & veluti fibris ac membranis,quemadmodum alia quælibet pars simplex vt patet ex Gal.10. illo meth.vlt. per carnem vero interdum eandem substantiam intelligere quemadmodum cum dixit iocinoris carnem esse proprium hepatis corpus : interdum vero per carnem portionem illam à fibris & membranis seiunctam, & hoc modo consideratam fuisse à Gale. quando dixit & horum singulorum peculiarem quandam habet proprietatem, quare ex hoc loco hactnus solummodo proprietaem præcipuæ partis alicuius instrumenti.

Cum itaque ratio & authoritas Galeni proprietatem compositionis comprobent, videndum est ex his,quæ primario,quæ secundario, quæ perfectè,quæ imperfectè ad operationem celebrandam conducunt, quod non erit difficile iudicare si operationum duo genera statuamus,alterum quidem partium similarium,alterum dissimilarium, etenim si operationem partium similarium spectemus & sermo fit de causis efficientibus instrumentalibus quarum cōsideratio ad medicos pertinet, cuiusmodi sunt temperies & compositio, quæ partium constitutionem complent, si tamen sub compositione vnitatem comprehendamus, nulli dubium est temperiem primo,per se & perfecte ad actionem illam absoluendam conferre, quare & proprietas illa quæ temperiem hanc describit, eodem modo conferre dicendum est:per accidens tamen & veluti signum; compositionem vero secundario & imperfectè, & eodem modo proprietas compositionis.

At si sermo fit de operatione partis instrumentalis, sicut determinata illa compositio primo per se & perfectè ad operationem instrumentalem perficiendam cōducit,sic & proprietas compositionis;sed illa quidem principaliter hæc vero vt signum;temperies vero & proprietas quæ temperiem designat & ipsæ quidem conducunt primò & per se:quia sunt principia operationis;sed imperfectè, quoniam operationem,quam incipit temperies,absoluit compositio, quemadmodum quod incipit alteratrix, perficit facultas.

Ex quibus etiam patet solutio ad quæstionem illam in qua quæritur cui nam actio apud medicos primo per se & perfectè fit adscribenda facultati ne determinatæ,an potius temperaturę & compositioni:quoniam manifestum est temperaturæ potius & compositioni,quam facultati actionem hanc esse attribuendam, quoniam sat est medico cognoscere ad bonam vel malam temperiem, ad bonam vel malam compositionem sequi bonam uel malam operationem quamnis si proprie loqui velimus,actio facultati determinatæ tanquam agenti principali sit tribuenda vt

da vt morbus dici possit & læsio facultatis & temperaturæ, diuersa tamen ratione & commodiori loco declarabitur.

Dubitatio de actione musculorum nunquid communis an determinata sit iudicanda. Cap. XXI.

AT video hoc loco suboriri quãdam dubitationem non inutilem & scitu dignam: quę viros alioquin doctissimos diu multumque defatigauit, siquidẽ nos diximus actionem communem esse illam, quæ omnibus partibus similaribus, conuenit veluti est, nutritio. At dicet quispiam si sic est ergo actio musculorum nõ erit communis, quoniam musculi specie non differunt, sed numero tantum.

Vt hanc difficultatem diluamus, hoc modo respõdere possumus, si dicamus motum musculorum & sic illorum actionem dupliciter considerari posse, vnoquidẽ modo, vt est motus naturalis musculorum, altero modo vt est motus voluntarius, nec alicui mirum esse videatur nos musculis motum naturalem attribuisse, quando Gale. 3. de naturalibus faculta. 8. dixit motum naturalem omnibus instrumentis conuenire, & exemplum proposuit de ventriculo, hepate, liene, renibus, musculis, vtraque vesica, intestinis & id genus alijs, omnibus namque instrumentis competit vt per suas fibras attrahant retineant, commutent, & expellant, verum id præstant non vt instrumenta sunt, sed vt ex partibus similaribus componuntur, nec valet id, pręstant per fibras, ergo vt sunt partes dissimilares, nam fibræ, quæ motui naturali inseruiunt partem ad sensum dissimilarem non faciunt, quemadmodnm fibræ, quæ motui voluntario destinatæ sunt: quare si motum hunc, qui naturalis est, spectemus; proculdubio motus hic erit actio uere communis; quòd si motum musculorum consideremus: qui voluntarius est, potest dici communis, potest etiam appellari determinatus: cõmunis quidem per indifferẽtiam erit, queadmodum & actio oculorum, renum, testium aurium, manuum & pedum, quæ actiones dicuntur communes, quia non vni indiuiduo, sed duobus conueniunt; sic actio musculorum communis appellabitur, quia pluribus numero musculis conuenit; at reuera determinata erit dicenda, quoniam uni determinato instrumento specifico conuenit, & semper eodem modo se habet: semper enim adducũt partem, in quam inserti sunt ad proprium principium, nam extensio non est actio, sed musculorum affectus, cum fiat ab oppositis musculis in contrarium trahentibus, ut docuit Gal. in lib. de disect. vocalium. 7. motus itaque musculorum voluntarius erit operatio determinata, quemadmodum operatio aurium, oculorum, renum, & similium, prætera si instrumẽta sunt eiusdem speciei, ergo & illorum actiones, sed musculi, aures, oculi, & alia id genus instrumenta non variant speciem, ergo neque illarum actiones, sed instrumentis illis ita dicatæ sunt, vt alijs non conueniant, etenim commeat hæc propositio si instrumenta sunt determinata, illorum quoque actiones determinatæ sunt & è contra vt voluit Gale. 2. de Pla. vlti. actio itaque musculorum dici potest absolutè communis, communis per indifferentiam, & determinata: hoc obiter admonere volui, quoniã ad conuulsionis naturam explicandam hæc consideratio plurimum confert, immo propter huiusce veritatis ignorantiam medici quidã clari nominis non potuerunt se à pluribus difficultatibus explicare, neque Galenum intellexerunt, neque videre potuerũt quomodo cõuulsio sit motus naturę,

De

De causa finali operationis. Cap. XXII.

SED eò redeamus vnde defluxit oratio;dicebamus itaque operationem esse motum humani corporis propter geniti perfectionem,etenim cum à principio natura vt docuit Gal.in lib.de marcore 4.in fabricatione seu generatione animalis nihil aliud sibi proposuerit;quam perfectum reddere quod generaretur, atque illud perfectum sit;cui nulla propria operatio desit,proculdubio operatio gratia perfectionis à natura fuit comparata. Cum autem perfectionem dicimus esse finem actionis,non excludimus vtilitatem,quæ ex ipsa operatione prodit,aut pulchritudinem illam, quæ non ἐκ περιουσίας vt inquit Gal.11.de vsup. 13. sed vera pulchritudo appellatur ad vtilitatis successum & bonitatem relata, quoniam ex optimis operationibus genitorum vtilitates, verę pulchritudines,& perfectiones subsequũtur:hæc enim inter se ratione tantum;non autem re vera distinguuntur,etenim vbi actio bona,ibi vtilitatem,ibi veram pulchritudinem,vbi geniti perfectionem adesse putare debemus, atq; pro actionis dignitate,vtilitas pulchritudo,& perfectio prętantior & dignior est dicenda, sicut in philosophia morali hominis perfectio nihil aliud est,quam beatitudo siue operatio secundum virtutem,sic in arte anatomica hominis perfectio erit motus artificiosus quandoquidem nulla operatio in arte anatomica consideratur,quæ in gratiam huius motus non fuerit considerata, nullam enim operationem in humano corpore excogitauit natura, quæ in hũc motum non sit referenda.

De calido innato. Cap. XXIII.

VERVM quia diximus ad operationem hanc celebrandam pręter temperaturam & compositionem,quam cõstitutionem appellauit Gal.in lib.de differentijs morb.j.alia quoque instrumenta desiderari nempe calidum insitum & vtrunque spiritum vna cum spiritu naturali ob id cum de huiusmodi instrumentis sermo nobis futurus sit, de instrumento illo prius loquemur,quod etiam primo loco generatur hoc est de calore insito, qui ex Gal.j.aph.14.& 4.aph.37.& in lib.de trem.6. & aduersus lycum 7.nec non 5 simp.9.& ingenitus, & primo genitus & calidum innatum, & connatum corpus,& primigenitum & natiuus, & naturalis ralis calor,& natura & natiuus spiritus appellari solet. Cuius definitio eiusmodi esse potest.

Calor insitus est corpus humidum seminale vaporosum à natura primogenitum vt substantia incorporea corporibus copuletur.)In hac definitione causam efficientem & finalem proposuimus, vt doctrina hæc dilucida magis & perspicua redderetur,quod autem definitio hæc totam caloris innati naturam absoluat, ex eo constare potest,quod definitum à quibuscunque alijs quæ sub eodem genere continentur,distinguit, cum definito comeat.& omnes dubitationes dirimit:hæc autẽ præstat per suum genus ac differentias: genus autem quod in hac definitione proponitur,est (corpus) differentiæ vero sunt (humidũ seminale vaporosum)qđ vt clarius intelligatur, particulæ in definitione propositæ sunt nobis explicãdæ,primo

itaque

itaque diximus cum Gal.j.aph.14.& 5.in 6.de vulg.morb. 5.& lib.aduerſus ly cũ 7.calorem hunc innatum eſſe(corpus)ne quis exiſtimaret nos puram & ſimplicem qualitatem definire a ſuo ſubiecto ſeiunctam, ex quo etiam conſtat calorem innatum eſſe quid diuerſum a temperatura:hoc genere conuenit calor hic cum omnibus ſpiritibus,cum & hic corpora exiſtant,& per corpora intelligimus mixta,quoniam nemo eſt tam rudis, qui non videat corpora hæc non eſſe ſimplicia non elementa, ſed ex elementis permixta. Secundo loco diximus corpus hoc (humidum eſſe) cum Gal.2.de natura humana 13.& iure optimo humidum, quoniam ob efficaciſſimam,quæ in eo eſt qualitatem,à qua etiam calidum innatum fuit denominatum vt voluit Gal.aduerſus Lycum,ſi cum eo fuiſſet coniuncta ſiccitas nos impendio aduceret,non erit autem,immo ipſius ope animalia gubernantur, & augentur, omneſque functiones celebrantur, humoris itaque temperatione corpus hoc perfundi neceſſe fuit,promptius enim corpora, quæ beneficio caloris quoquo verſus à natura producuntur per humiditatem compaginantur, vt docuit Gal.2.de natura humana 13.& 3.de cauſis pulſuum 10. Tertio loco diximus corpus hoc eſſe (ſeminale) vt diſtingueret a quocunque alio humorum genere ſeu a quocunque alio contento & impetum faciente:non enim debuit eſſe humorum præter naturam, cum hoc genus humoris non ſaluberrimum,ſed pernicioſum exiſtat,non quodcunque naturale,quoniam ex humoribus alij ſunt innati, alij ſunt aduentitij, & inter aduentitios alij ſunt pura excrementa,alij alimenta,& hæc primi vel ſecundi ordinis, non pura quidem excrementa, nec alimenta, quoniam horum alterum genus ſiue vtile ſiue inutile exiſtat,à natura tandem extra corpus extruditur; alterum vero præterquam quod aduentitium eſt,in ſubſtantiam partis commutatur,quare humidũ hoc inter humores alimẽtales nõ eſt recenſendũ, qđ ẽt vnicuique parere põt primordia gñationis noſtræ contẽplanti, etenim in ipſa fætus formatione nõ ne ſenſus ipſe docet & Gal.aduerſus Lycũ 7.antequã in vtero venæ,arteriæ, nerui, chartilagines appareãt neceſſario ibi adeſſe corpus hoc calidũ,qđ vi facultatis generatricis primum ſolidarũ rudimenta ſeu lineamenta partium ſolidarum & ſic fœtus ſimulacrũ ſeu effigiationem ſuſcipit, mox vero adumbrationem quandam partium ſimilariũ lineamentis ſuis ſubſequi, quæ quaſi fibræ ſint,& ſtamina filis quibuſdã tenuiſſimas araneorum ſimilibus contexta,ad quam adumbrationem deinde ſenſim influens ac illabens ſanguis maternus villos ſtamina vndique veſtiens illic cõcreſcit fitque ſubſtantia carnoſa ex ſanguine in qua corpus hoc humidum de quo nos loquimur non exiſtit alioquin non eſſet primogenitum. Hoc idem comprobari poſſe videtur ex Gal.j. de ſemine 7.& 9.vbi ſcribit ſemen virile cum primũ in cauitatem vuluæ receptum fuerit ex feminæ fœmineo nutriri quo tempore genituram vocauit Hipp. quod ſi ſic eſt, ergo calor inſitus qui huic geniturę congenitus eſt ex ſolo ſemine conſtabit,hic enim purus, tenuiſſimus, integer exiſtit, & ab omni craſſitie & impuritate ſeiunctus:ſcio tamen alterum dari calidum innatum quod impurum eſt,& propterea non eius generis quod a prima origine ſemen nobis indidit,& quod ſolidæ partes à ſemine contraxerunt; ſed quod cum partibus carnoſis ſimul ex halitu ſanguinis generatur,qui calor, quia cum his partibus generatur,congenitus dici poteſt,hac notione ſanguinea ſubſtantia ſimulque aerea calor naturalis appellari poteſt,quare ſi quando videbimus Galenum aſſerentem calidum innatum in ſanguine & venis conſiſtere, vel nihil aliud eſſe quam ſangui-
nem

sanguineam simulque aeream substantiam esse, uel seminalem vna cum spiritu, quemadmodum legitur 8.de pla.7.& 4.in 6.de vulg.morb.24.& in lib.ad salub. dieta 7. aduersus Lycum 7. nec non 5. simp.9.non est, vt dicamus, quemadmodum quispiā fortasse dicere posset, materiam calidi innati quouis modo considerati simul esse sanguinam,& seminalem,atque sine vllo discrimine ex sanguine & semine nutriri, vel potius instaurari posse, quando id de calido innato genituræ nulla ratione verificari possit: quare dicendum est calidum innatum esse sanguinem,uel sanguineam simulque aeream substantiam & in uenis arterijsque consistere, si loquamur de calido innato, quod cum partibus sanguineis generatur, esse uero tñ, & ex semine reparari, si loquamur de calido innato genituræ: quod si sermo sit de calido innato partium, non erit forte præter rationem, si dicamus calorem hunc, & ex semine & halitu sanguinis refici posse, sicut inconueniens non est spiritum animalem & ex spiritu vitali,& habitu benigniori sanguinis,& ex aere præparato recreari; quare tueri possumus ex mente Gal.calidum innatum esse primogenitū & non esse primogenitum, fieri quoque,& sic nutriri ex parte seminali;& non fieri, & propterea etiam non nutriri ex corpore seminali, sed sanguineo;quandoque etiam ab vtroque reparari posse.

Additum quoqne fuit (uaporosum) ex Gal.j.aph.14.cum illius substantia sit aerea & aquea,hoc est corpus calidum & humidum,atque hoc in definitione additum fuit,vt distingueretur à terreno illo crassamento & humore tenaci aqueo, quod in semine reperitur, & cuius interuentu crassamentum illud constans & firmum redditur necesse autem fuit vt corpus hoc esset uaporosum, quoniam futura erat substantia per se mobilis, vt etiam iure optimo Plato & alij philosophi ignis flammę assimilarent,quare sicut aer perenni quodam motu conseruatur,alioquin marcesceret, quemadmodum de aere concluso manifestum est,sic calor innatus si debet conseruari perpetuo motu,vt moueatur, est necesse: aereus itaque tenuissimus esse debuit,& ob id quid diuersum à temperatura cum temperatura nō sit corpus neque moueatur hoc idem videtur nobis significasse Gal.j. de semine 15. vbi ex mente Aristo. dixit causam firmitatis ac roboris membrorum esse uel insitum calorem, vel spiritum innatum,vel bonam temperaturam:distiuguit itaque temperiem à calido innato.

Causam efficientem diximus esse naturam seu facultatem naturalem, non autem animalem,vel vitalem, etenim cum sermo sit de calido innato quod fit ante fœtus generationem, nulli dubium est calidum hoc fieri à facultate naturali alteratrice vteri, quoniam cum primum semen virile prolificum in vuluam receptum fuerit, & cum semine muliebri commixtum, tunc facultas vteri alteratrix in semen ipsum agit virtutesque illiussopitas excitat atque de potentia ad actū deducit,quę actio nihil aliud est,quam conceptio,eodem quoque tempore semē alterando proprijs instrumentis adiuta calidum innatum generat laturum instrumentum opportunum facultatis generatricis ipsius seminis hoc est alteratricis & formatricis, vi cuius postea fœtus perfectionem suscipit,& calor cuiuslibet partis generatur & reparatur.

Postremo loco causam finalem statuimus esse(coniūctionem animæ cūm corpore)quod ex Gal.7 de pala.Hipp.7. sub finem elici posse videtur,vbi habet animam vel esse fulgidum quodam, & quasi ętthereū corpus;uel ipsam incorpoream

M quidem

quidem esse substantia, uti tamen hoc corpore tanquam principali vehiculo:quæ vtique medio aliorum postea corporum commercium habet ibi nãque Gal. officium,seu finem spiritus animalis proposuit, & propterea illius necessitatem, ex quo loco nos quoque & spiritus vitalis & naturalis,& caloris insit, necessitatem colligere possumus, etenim sicut spiritus animalis officium est animam seu facultatem animalis corpori copulare, sic vitalis vitalem, & naturalis naturalem, qui spiritus non proprie vehiculū dici debent, cū facultates & virtutes ipsæ sint substantiæ incorporeæ,& propterea non egeant vehiculo,& per substantiā instrumentorū penetrent,per q̃ spirittus penetrare nō possunt: alioquin daretur penetratio corporum,quare uehiculum ea ratione dicuntur,qua sui tenuitate, puritate & lumine facultates cum cæteris corporis partibus commercium habere atque in illis uim suam exercere possint, etenim cum facultates essent incorporeæ, & necessarium esset vt maxime impuris corporibus copularentur in ijsque vim suã ostenderent,nullaque proportio esset inter incorporeum & corpus impurum,necessarij fuerunt spiritus, qui sui lumine,ac puritate tanquam medium quoddam animæ instrumentum efficerentur:etenim lumine ac puritate cum anima conueniunt,sui vero corpore cum alijs corporibus magis impuris;verum quia inter naturam spiritus & sanguinis maximum erat discrimen neque vlla ratione inter se conuenire posse videbantur,ob id summus rerum omnium opifex alterum corpus interposuit tenue quidem & simplex, sed impurius & minus luminosum ac splendidum spiritu quod calidum innatum appellamus,qui & insitus spiritus dici potest,cum sit quid aereum, tot itaque corpora necessaria fuerunt, vt substantia illa incorporea humano corpori copulari posset:quare calor insitus dupliciter considerari potest,vno modo, vt illius ope substantia incorporea corpori copulatur:altero modo vt conducit ad operationem facultatis: quare si calorem insitū spectemus vt finem, habet custodiam facultatis seu illius cõiunctionem cum corpore quemadmodum consideratur a nobis erit organum primarium, constitutio vera secundarium:at si eundum spectemus vt ad operationem conducit, constitutio erit organum primarium,secundarium vero calidum innatum. Verum cum calidum hoc ac operationes conducat,& operationes sint vel animales, vel vitales,vel naturales, si quis querat quibusnam primo conducat calidum hoc innatū? is legat Gale. 5.in 6.de vulg.morb.5 vbi ex mente Hipp.inquit calidum innatum videri animæ substantiam,quod naturalium operum multis in locis auctorem esse testatur Hipp. & paulo inferius subdit,calidum innatum,cui maxime corporea opera tribuit igneum factum non solum munera hoc est ante dicta græcis τὰς ἔμπροσθεν ἐνεργείας obire nō potest;sed neque corpus nostrum alere, quod ipsius erat primarium officium;quibus verbis manifestè constat calidum innatum à natura progenitum fuisse primo propter operationes naturales,quæ ad indiuidualem uitam pertinent:mox propter speciei conseruationem, tertio loco propter meliorem vitam, idque dicendum est, si illius necessitatem spectemus sin dignitatem primo propter operationes, quæ ad meliorem uitam, deinde propter eas, quæ ad vitam pertinent. Verum non uno atque eodem modo ad has operationes obeundas calidum innatum conferre existimandum est; etenim si naturales operationes spectemus,& propterea corporeas, seu materiales ea ratione conferre dicitur cum calido innato, hoc est substantia ignea spiritus naturalis hoc est substantia

aerea

aerea commiſcetur : ita tamen ut ſit totius in toto non autem vt ex ſpiritu & calido fiat reticulum inſtar naſſæ vt uoluit Plato teſte Gal. 8. de Pla.7. qui calor in omnibus animantis partibus continetur non eſt tamen vndequaque ſui ſimilis, veluti nec ſanguis;in ſpatijs namque inanibus non pauca eſt illius ſubſtantia immo potius ueluti materia, quę leuiuſculam adhuc mutationem requirit ad innati ſpiritus ſeu calidi innati qualitatibus ſui abſoluti generationem, qui quidem etſi rudis aliquantisper & imperfectus exiſtat;ad naturalia tamen opera plurimum conducit,vt voluit Gal. 5.ſimp.9. quod ſi actiones ſpiritales contemplemur, & primo quæ a corde prodeunt,non erit graue peccatum ſi dicamus calorē innatum ad has obeundas conferre,ut commiſcetur cum ſpiritu uitali: Poſtremo ſi ſermo ſit de actionibus animalibus ita manifeſtum eſt calori natiuo aliud quid iniungendum eſſe vt probatione non egeat : quandoquidem ſi de operationibus præſtantioribus loquamur, non eſt dubitandum calidum innatum conferre de ratione qua ſpiritui animali commiſcetur.ſic de viſione dicebat Gal.7.de pla.7. in fine ſpiritum oculorum ſpiritu animali participem fieri,ut lucidus efficiatur,quibus verbis quid aliud voluit ſignificare Galenus, quam calidum innatum oculorum ad viſionem celebrandam conferre,ſi cum ſpiritu animali commiſceatur. At ſi de auditu ſermo habeatur, nulli dubium eſt præter calidum innatum deſiderari quoque medium aliquod inter aerem extremum, & neruum expanſum quoniam principale ſenſorium non ſuſcipit ſenſibile niſi per aliquod ſibi familiare & cognatum,quod ſibi continuo inhæreat reſideat & ipſum peruadat, quale nihil aliud eſſe poteſt,quam aer purus,tenuiſſimus & impermixtus,ipſi ſenſorio congenitus & cum calido natiuo commixtus,qui tamē ſecundum partem aliquam corrumpi,ac diſſipari poteſt,& iterum ab aere externo reparari,& ſi mouetur hic aer quemadmodum ex illius & calidi innati ſubſtantia coniectari licet, tranquillo ac placido motu & in loco in quo eſt moueri iudicandum eſt, & hoc eſt quod dixit Ariſto. 2.de anima aerem hunc moueri & non moueri:eandem opinionem idem Ariſt.confirmare videtur 5 de generatione animalium 2.ſed alias de his fuſius. Cæterum quod de auditu dictum eſt, idem prorſus de olfactu dicendum eſt, in quo celebrando calidum innatum cum vapore debet eſſe commixtum ; in guſtu cum ſaliua,in tactu cum parte quadam terreſtri. Ad motum vero animalem conducit hic calor ea rōne qua partē ipſam aptā reddit ad facultatē animalē ſuſcipiendam ; ad naturalē vero operationem obeundam & cōmiſceturcū ſpiritu naturali.

Iure itaque optimo calidum hoc adeo fuit celebratum ab omnibus philoſophis,& præſertim ab Hip. & Gal.ſtoici namque calorem hunc animæ ſubſtātiam eſſe uoluerunt.his aſſentiri videtur Hip.in libro de carnibus in principio vbi appellat calorem hunc immortalem,cuius ſententiæ videtur etiam fuiſſe Gal.2.ad Gla.2.cum dicat calorem hunc fortaſſis ſubſtantiam virtutum exiſtere,aut eſſe illius primum & maxime neceſſarium inſtrumentum, quod verius eſt & nobis magis probatur;neque eſt quod quiſpiam nobis obijciat Galenum quandoque aſſerere calorem hunc eſſentiam potentiæ vitalis appellari poſſe vt ſcriptum nobis reliquit 3.in 6.de vulg.mor. 18. cui etiam tantum attribuit.vt in lib.de marcore 3.dicat calorem hunc animalia gubernare & augere, & facultates non ſolum eas obtinere quibus fingit,verum etiam pleraſque illas, quæ ad nutritionem pertinent:nam & ſi Gal.his in locis non videatur alias facultates agnoſcere quam calo-

rem naturalem,nihilominus 14. de vſup.6.& 8.de pla.7.nec non 2.de natura hu mana 13.vbi proprie de huiuſmodi calore loquitur appellat primū naturæ inſtru mentum,vt ex his manifeſtum ſit, Galenum quandoque habitum philoſophi induere,atque tunc facultatem ab inſtrumentis diſtinguere quandoque vero limites medici non tranſcendere quemadmodum etiam Hipp. in lib. de carnibus & quæ ſunt propria uirtutis inſtrumentis condonare,vt etiam mirū non ſit,ſi tempe raturæ quandoque tantum tribuit,ut ipſam facultatis eſſentiam appellet, hoc ſepius inculco, vt intelligant medici Galenum raro propria verba uſurpaſſe,& propterea occaſionem multis dubitandi dediſſe qui dum illius uerba non rei naturā expendere conantur, in ſalebras incidūt, & operoſis nexibus implicantur.

Sed ad rem. Conſtat itaque calorem hunc eſſe neceſſarium inſtrumentum ad omnes functiones celebrandas,virtutes namque illa, viuificat & ad operationes obeundas promptiores reddit:nam quis eſt ille,qui nō videat quodcunque viuit ſalutari hoc calore perfuſum contineri, & quicquid corrumpitur calore hoc deſtitutum marceſcere,quis non videt in ſenibus vbi minimum eſt huius caloris operationes quæcunque ſint maxime imminui ac debilitari,immo nonnullas penitus aboleri,quare in re adeo manifeſta non eſt ut diutius immoremur,ſat eſt nobis ſemina quædam veritatis conſeruiſſe.

Illud potius eſt obſeruandum hoc in omnibus corporis partibus non eſſe eiuſdem virtutis,maiorem namque uim habet in corde,quam in cæteris corporis partibus,quam differentiam propoſuit nobis Gal. 5.in 6.de vulga.morb. 5.cum diceret duplicem dari caliditatem,alteram quidem naturalem per quam ſanguis creatur,& in iocinore continetur;alteram maiorem in corde ad iram excitandam,quo factum eſt,vt quę in iocinore & cęteris corporis partibus cōtinetur,difflatione indigeat; quę uero in corde exiſtit reſpiratione quare dicebat Gal.in lib.de pul. 2.calorem,qui in corde naturalis eſt,non eſſe ſimilem ei, qui in cæteris partibus contineturcum cor feruere ſemper ſit neceſſe cæteris vero partibus ſatis ſit, ſi non ſint frigidæ.

Aliam quoque obſeruauit Gal. differentiam loco nuperrime citato nempe calorem cordis ſola reſpiratione tueri, calorem vero reliquarum partium duplicem habere cuſtodiam,alteram quidem a pulſu,qui veluti quædam reſpiratio exiſtit; alteram à corde ac teſtibus, à quibus cæteris partibus perpetuo ſubminiſtratur calor vt ſcribit Gal. 1.de ſem.15.quare vnaquæque particula duplici commoditate cor ſuperat, quominus ex inopia caloris incommodum & noxam celeriter ſentiat, primum quidem quoniam cordi plurimo calore, cæteris partibus exiguo, deinde quia cordi à nullo alio ſubminiſtratur calor,ſed alijs ab illo, quare cor celerius à naturali ſtatu recedit,quam aliæ partes.

Ex quibus etiam non aliam differentiam inter calorem cordis & aliarum partium notare poſſumus, quoniam calor cęterarum partium vnica motus differentia donatus eſt;cordis uero calor duplicem habet motum: ille namque non deſerit locū,ſed in eodem loco ſurſum deorſumque mouetur:alter enim alterius motum ſemper excipit ad ſuperiora exterioraque fertur & a ſuo principio(vt ita dicam)explicatur ſui caliditate,intro autem fertur & deorſum,hoc eſt ad proprium principium redit ob exteriorem frigiditatem,& ſic ex calido & frigido fit temperatus:calor uero cordis præter hunc motum ad exteriora, alium quoque habet,

quo

quo per arterias & venas sui qualitate in vniuersum corpus diffluit atque illabitur ad cæterarum corporis partium calorem ut diximus tuendum:sed maximum est discrimen inter caloré, qui per arterias deducitur,& qui per venas transmittitur id quod non merito subiecti contingit,quamuis enim tenuior & lõge siccior sit sanguis & propterea illius habitus qui per arterias illabitur,quam qui per uenas, non sequitur tamen ob id vt sit calidior,calidissimus enim esset spiritus animalis, cum tamen omnium temperatissimus existat oportet, ut suo loco dicetur: dicendum itaque calorem hunc esse omnium feruentissimum, quia cor uitæ principium erat futurum, & per hunc calorem cæterarum partium calor erat conseruandus.

Occurit & altera difficultas non leuis,quoniam Gal.loco de vtilitate resp.cap. vlt. dicebat tria esse prima instrumenta, quibus anima in opus descendit nempe spiritus animalis, calor insitus & temperatura,nos vero quartum addere possumus nempe cuiusque partis compositionem; ex quibus obiter colligere licet discrimen inter calidum innatum & temperiem: at dicet quis, vnius operationis vnum est primum instrumentum, ergo non tria non quattuor prima.

Præterea dicebat Gal.8.de pla.7.& 5.in 6.de vul.morb.5.& 14.de vsup.6.calidum ingenitum esse primnm animæ instrumentum,& omnium actionum naturalium opifex & auctor, si sic est, ergo spiritus. & temperatura non erunt prima instrumenta, multo minus partium structura & compositio.

Pro quarum dubitationum & contradictionum apparentium solutione illud vnum est nobis animaduertendum,ad quamlibet operationem celebrandam,duo genera instrumentorum maxime desiderari, quorum alterum primum: alterum secundum nominari potest, etenim si loquamur de actionibus partium similarium,ad has obeundas conducit spiritus,calor temperatura & partium compositio,& hæc omnia conducunt & instruméta, quibus facultas appropriata vtitur.ad actiones illarum partium absoluendas,sed horum iustrumentorum alia prima, alia secunda nominari possunt,prima quidem sunt spiritus,calor,& temperatura, & sunt prima non modo origine; verum etiam perfectione,si sermo sit de actionibus partium similarium;quoniam temperatuta partiũ ab instrumentis prædictis adiutapartium similarium actiones perficit & hoc est quod docuit Gal.3.de simp. causis 1.vbi dicebat temperaturam quæ proprietatem corporis ventriculi facit esse causam mutationis ciborum coadiuuante plurimum calido elemento.at secundum instrumentum est partium compositio, quæ & ipsa ad actiones partium similarium obeundas plurimum confert,at secundaria quadam ratione & per accidens:ac imperfectè:quod si sermo sit de actionibus partium instruméralium,tria illa insttumenta prædicta prima quidem èrunt merito generationis & originis:cõpositio uero secundarium quidem at merito perfectionis sub qua & vnitaté complector primum erit instrumentum illa vero tria secundaria erunt dicenda:merito itaque Gal.dixit tria esse prima instrumenta, calorem naturalem spiritum, & temperaturam, quoniam originem spectauit,quare plura insttumenta possunt esse prima,si ad secunda comparantur:quod si illa prima instrumenta inter se comparentnr.quamuis inter se ita sint commixta, & eam inter se affinitatem habeant, vt vnum absque altero consistere nequeat: nihilominus ratio ipsa dictare uidetur primum locum obtinere temperaturam, secundum calidum innatum tertium spi

ritum

ritum ſi horum omnium originem ſpectemus & neceſſitatem in dignitatem oppoſitum erit exiſtimandum.

At Clariſſi. Capiuacius præceptor meus dum publicè methodum anatomicam legeret alio mõ dubitationẽ mouebat, atque aliter ſoluebat dicebat nãque Gal. loco citato tria proponere organa prima in cerebro ſpiritum nempe animalem; calidum innatum & cõſtitutionem, & per conſtitutionem Galenum intelligere temperiem, quibus poſitis ſic argumentabatur vnius partis inſtrumentalis, ſeu vnius facultatis determinatæ eſt vnum organum reliqua ſecundaria, at Gal. tria proponit videtur itaque aberrare. Cui difficultati ſic ſatisfieri poſſe affirmabat, ſi dicamus ſpiritum animalem organum primum appellari & ratione, qua cuſtodit facultatem animalem; calorem vero innatum qua naturalem; temperaturam qua operationem ſpectat. ſi rem ipſam diligenter expendamus vtraque opinio tueri poteſt.

Quod vero Gal. locis ſuperius cæteris vocarit calorem primum animæ inſtrumentum, atque huic & Gale. & Hipp. omnes animæ operationes attribuerint non autem temperaturæ. Dicendum eſt Gale. & Hipp. non conſideraſſe calorem natiuum, vt quid cõtradiſtinctum à temperatura, immo vt eſt potiſſima cauſa, ex qua temperatura fit, conſeruatur, & ad operationem conducit, quare quod erat proprium temperaturæ id calori natiuo tribuerunt quod vt planius intelligatur paulo altius exordiendum eſt, & cum Gal. 9. meth. 3. ſtatuendum eſt in animantis corpore nihil prius nihil præſtantius vita, quãdo nec ſanè vita carere poſſunt: at cum viuere quempiam dicamus cum operationes promit: & operationes ex virium conſtantia prodeant ad ipſamque tanquam effectus ſubſequantur, & virium eſſentia commodo temperamento æſtimetur, quod ea ratione proprium & perfectum iudicari debet, qua ex prima elementorum confuſione & ex feruido calentique ſpiritu integratur, hinc factum eſt. vt Gal. & Hipp. dixerint calorem natiuũ eſſe primum animę inſtrumentum ipſique omnes animę functiones attribuerint, cum ſpiritus ille calidus; ſeu calidum innatum vna cum ſpiritu temperamenti veluti anima exiſtat, vt mirum non ſit ſi Gal. quandoque dicat virium ſubſtantiam eſſe calorem innatum, quandoque temperaturam, & ſic indifferẽter primum animæ inſtrumentum.

Conſtat itaque ex his quæ dicta ſunt, quid ſit calidum innatum, quotuplex ſit: quæ fuerit illius neceſſitas, & qua ratione dicatur primum animæ inſtrumentum.

De ſpiritu naturali. Cap. XXIIII.

SPiritum naturalem dari plerique concedunt; ſed nullum ſtatuunt diſcrimen inter ſpiritum naturalem & calidum innatum ducti auctoritate Gal. 5. ſimp. 9. vbi habet hæc verba οὐδὲν δὲ κωλύει καὶ τὴν αἱματικὴν οὐσίαν καὶ ἀερώδη θερμὸν ἔμφυτον ἀκούειν ἅμα τῷ πνεύματι hoc eſt nihil ꝓhibet & ſanguineã ſubſtãtiã & aereã vna cũ ſpiritu calidum audire innatũ. quibus verbis ego certe non video quomodo concludant hanc eſſe Gale. ſententiam vt velit calidum innatum & ſpiritum naturalem inter ſe nulla ratione differre, atque vnum pro altero indifferenter vſurpari poſſe, immò videtur potius oppoſitum ex illius verbis inferendum, quoniam

tria

tria proponit ſubſtātiarum genera nempe ſanguineam, aeream & ſpirituoſam,& aſſerit nihil omnino prohibere quominus per has tres ſubſtantias calidum adiuuamus innatum,ac ſi diceret quamuis calidum innatum ſit ſubſtantia ſanguinea & aerea. vt ſuperius probatum eſt, cum de calidi innati ſubſtantia loqueremur; at tamen nihil prohibet,quo minus ſub calido innato complectamur quoque ſpiritum naturalem, quod vero Galenus per calidum innatum intelligat quid magis materiale quam ſit ſpiritus declarat hoc 4.de dignot.pul.2. vbi proponit opinionem Agathini de pleno pulſu & vacuo, etenim inquit Agathini ſententiam fuiſſe tenſum & contentum perpetuo ſpiritum in plenis apparere pulſibus infirmũ vero & fractũ, nec quicquã renitentẽ in vacuis & ſubdit εἴτε δὲ τὸ σύμφυτον πνεῦμα καὶ ζωτικόν, τὸ διὰ τῶν σωμάτων, ὡς αὐτοὶ βούλονται τεταμένον, εἴτε τὸ ἀερῶδές τε καὶ ὑλικόν, τὸ ἐν ταῖς εὐρυχωρίαις σου πάνυ μὲν ἡ λέξις ἀποσαφεῖ· hoc eſt. At cõnatus ne ſpiritus atq; vitalis ſit,qui per corpora,vt illi cõtendũt tenſus eſt, an aereus & materialis,qui cõtinetur in ſpatijs parũ verba declarãt,quib. verbis quis eſt ille,qui nõ videat Gal.duo genera ſpirituũ proponere,alterũ quidẽ cõnatum & vitalem, alterũ aereum & materialem, & per aereum & materialem intelligere calidum innatum vnde obiter colligitur Galenũ velle ſpiritum vitalem connatum quoque appellari poſſe,ex his itaque videtur Gale. alterum ſpiritum præter calidum innatum agnoſcere. At dicet quiſpiam quomodo verum hoc eſt ſi 12. meth.5. dubitat nunquid detur ſpiritus naturalis cum dixerit πνεῦμα φύσικον ſi eſt in hepate ac venis reperitur. Immo dicendum eſt, quia de hoc dubitauit Gale.ideo videri ſpiritum hunc agnouiſſe, etenim ſi voluiſſet Galenus ſpiritum hunc à calido innato nihil omnino differre,de eo non de eo non dubitaſſet,quoniam de calido innato nunquam dubitauit:quare noſtrum eſſe videtur quod ſub dubio reliquit Galenus rationibus ſaltem probabilibus confirmare·ratio itaque quæ nobis perſuadere poteſt huiuſce ſpiritus neceſſitatem à ſimili deduci poſſe uidetur hoc modo,ſi ſpiritus animalis fuit neceſſarius vt facultas animalis corpori neruoſo copularetur; & ab eius virtute cuſtodiretur,ſi ſpiritus vitalis vt facultas arterioſo,ita quoque ſpiritus naturalis fuit neceſſarius naturalis venoſo corpori copularetur,& ab eius virtute cuſtodiretur; neque dicendum eſt ad hoc munus obeundum ſufficere calidum innatum, quoniam calidum innatum nõ illabitur & fluit per venas quẽadmodum ſpiritus naturalis, ſed ita implantatus vt loco non recedat; quare neceſſarius eſt hic ſpiritus naturalis,cuius ſedes & fons eſt hepar, quemadmodum ſpiritus animalis cerebrum & vitalis cor, vt cum tres ſint facultates vniuerſum animal gubernantes triplici quoque indigeant inſtrumento, cum nulla ſit pars in corpore noſtro,quę calidum innatum, aut virtutes naturales diutius retinere poſſit principiorum viribus & auxilio deſtituta quemadmodum colligitur ex Gal.7. meth.13.2. in primum prorrhet. 5.& 4.in 6.de vulg.morb.25, & pleriſque alijs in locis, quod cum ita ſit, neceſſe fuit, vt ſpiritus hic naturalis per venas deduceretur.

Quod ſi quiſpiam dicat hanc eſſe communem & Galeni ſententiam facultates naturales inſitas eſſe & propterea non aliunde pendere dicendum eſt hoc nõ eſſe perpetuo uerum, quoniam ſi ſic eſſet,neque calidum innatum cum ſingulis particulis inſideat caloris indigeret, eget tamen non ſequitur itaque facultates naturales ſunt inſitæ ergo non opus eſt, vt tueantur à virtute ſui principij, quod quidem

dem

dem est hepar diximus,& quam pluribus in locis testatus est Gal.& præsertim 7. meth. 13.2.in primum prorrhet. 5. & 4.in 6.de vulg. morb.25. quòd si facultas iocinoris,ab eo per venas diffunditur in vniuersum corpus,consentaneum quoque fuit vt spiritus naturalis veluti illius vehiculũ & custodia diffunderetur quod nobis significasse videtur Galen.4.in 6.vulg.morb.25.vbi dicebat in corde atque in iecore multus ab initio insitus calor inest,qui per sanguinem in carnes diffunditur,& per sanguinem non intelligit Gal.materiam tantummodo crassam,sed aggregatum quoddam ex multiplici substantia,quarum altera crassior & siccior est & propterea magis terrestris,altera est minus crassa,minus sicca & ob id magis aquosa,tertia tenuior est ac veluti oleaginosa,quarta aerea & vaporosa,vltima spirituosa; per partem namque crassiorem & magis concretã solidæ substantiæ crassamentum nutritur, per partẽ minus crassam,quod reliquum est generis carnosi, & à genere carnoso non excludo partes seminales, per tenuiorẽ & oleaginosã humidum illud primigenium quod & humidum radicale appellant:per vaporosam vaporem ex humido illo primigenio sublatũ,quem spiritum seu calidum ingenitũ appellamus per spirituosam spiritum naturalem;quare non videtur præter rationem si dicamus spiritum quoque naturalem ab hepate per venas in exteriora corporis deriuari.

Quod autẽ vnicuique parti facultates insitæ sunt, nihil aliud facit quam vt fauore facultatis principij destitutæ non ita cito contabescant,& proprio munere destituantur.

Quare spiritus naturalis definitio sic erit instituenda,vt sit corpus aereũ ex puriori & magis aerea sanguinis portione virtute alteratricis propriæ genitũ vt facultas naturalis corpori copuletur.vt corpus est aereum conuenit cũ calido innato,spiritu vitali,& animali,vt genitum est ex puriori, & magis aerea seu tenuiori sanguinis portione differt à calido innato, per causam vero efficientem ac finalẽ differt à quocunque alio spiritu, à spiritu quidem insito: quoniam hic organum est magis commune,spiritus vero naturalis magis proprium facultatis naturalis, sic de vitali & animali est dicendum, etenim vnusquisque magis custodit ac tuetur facultatem suam.Cætera ita nota sunt ex his quæ dicta sunt vt in his repetendis non sit amplius immorandum.

De spiritu vitali. Cap. XXV.

ALterum instrumentum quod proposuit Galenus considerandum est spiritus vitalis,quod vt diximus est magis proprium facultatis vitalis,& quoniã hic spiritus generatur ex spiritu naturali,vt mox dicemus,ob id de hoc vno priusquam de spiritu animali sermo nobis erit habendus,qui spiritus quemadmodum & alij,sic dictus est à spirando eo quia veluti aura tenuis huc atque illuc spirat & mouetur, & nunquam quiescit. quare & repente generatur atque ab omni contrarietate maxime distare debet, & ob id temperatissimus esse oportet, ac purus vt maximam cum facultate vitali similitudinem habeat, cuius futurum erat instrumentum.

Vt spiritus vitalis sit corpus aereum ex spiritu naturali potissimum vi facultatis propriæ alteratricis genitũ, vt facultas vitalis, cõmerciũ habeat cum corpore.

Primo

Primo loco diximus ſpiritum hūc eſſe corpus,quia vt corpus eſt cōuenit cū ſpiritu inſito,naturali,& aīali,nec nō cum cæteris partibus corporis,ſiue ſint cōtenta, ſiue cōtinentia,aereū diximus, vt diſtingueretur nedū à cæteris contentis craſſioribus, verum etiam à ſpiritu innato, qui potius vaporoſus eſt quam aereus, nec no n animali qui non aerees,ſed æthereus potius eſt. Diximus autem fieri potiſſimum ex ſpiritu naturali, vt conſtaret ex qua materia fieri ſolet, à iecore namque per venam cauam ſpiritus naturalis vna cum ſanguine in cor inuehitur,vbi vi caloris cordis magis elaboratus in aeris veluti ſpeciem commutatur atque ex dextro ſinu cordis per anguſtiſſima illa foramina in ſiniſtrum permeat,vbi hauſto per pulmones aere temperato fit materia quædam, quæ beneficio facultatis alteratricis cordis & caloris euadit ſpiritus vitalis;quo loco illud notare debemus,cor & iecur mutuam ſibi operam præſtare,iecur namque cordi materiam ſubminiſtrat ex qua profert ſpiritum vitalem,cor vero hepati calorem quo ſpiritus innatus tuetur atque diutius cōſeruatur,adiunximus vero particulam illam(potiſſimum)quoniam ſpiritus vitalis non ex ſolo ſpiritu naturali generatur,verum etiam ex aere inſpirato,vt docuit Gale. 12.meth. 5.7.de pla.3.& 9.de vſup. 4.neque exiſtimandum eſt ſpiritum hunc ita in corde generari vt in arterijs generari non poſſit quando genus oppoſitum teſtari videtur Gal.7.de Pla.3.& in 12.meth.5. Dictum præterea fuit ſpiritum vitalem(à facultate propria(fieri,vt à cæteris ſpiritibus diſtingueretur: poſtremo dictum fuit ſpiritus vitalis finem eſſe (ut facultas vitalis commercium habeat cum corpore) quo fine diſtinguitur ab omnibus alijs ſpiritibus.

At dicet quiſpiam,ſi calor inſitus factus fuit, vt facultates omnes corpori copularentur, non fuerunt itaque neceſſarij ſpiritus: quare neque uitalis.

Ex ſupra dictis patet reſponſio, quoniam diximus calidum innatum perſe non eſſe ſufficiens vt anima corpori copuletur, quando propter ſui craſſitiem & ſubſtantiam nimis materialem cum facultatibus nullam habet familiaritatem,neque loco dimouetur,quare neceſſe fuit vt interdum ſpiritum naturalem,interdum vitalem interdum animalem ſibi aſſociaret & veluti comitem adiungeret, atque interdum ſpiritus ipſos ad cuſtodiendas facultates diuagari, ſpiritus itaque vitalis fuit neceſſarius vt virtus uitalis arterijs copularetur: ui cuius pulſus efficeretur, cuius duplex futura erat utilitas,quarum altera & maior erat caloris innati cuſtodia,altera & minor animali ſpiritui copioſi alimenti præparatio, vt docuit Gal.j. de vſu pul.2.ex quibus vnuſquiſque facile intelligere poteſt facultate vitali otiante,cæteras quoque facultates otiari fore neceſſe & ab opere ceſſare, quemadmodum ex arteriarum interceptione declaratur, per hanc enim aſpirationem cordis cohibitam repente tanquam attonitum corruit animal, atque tandiu in ſyncope detinetur,quandiu vitale robur corporis partes non illuſtrat:ſed cum primum hęc reuixerit, aliæ quoque facultates quaſi recreatæ recurrunt.

Quod ſi quiſpiam diceret,plures ſunt ſpiritus vitalis vſus & fines non itaque vnus quemadmodum nos poſuimus: quod autem plures ſint vſus, patet ex hoc quoniam eſt organum facultatis alteratricis cordis nec non iraſcibilis ea ratione qua in corde miſcetur cum calido innato, dicebat namque Galenus 6. de Pla.8. quemadmodum cor eſt principium ſanguinis ſpirituoſi ita ſedes eſt facultatis iraſcibilis,facultas itaque iraſcibilis ſpiritu vitali egere videtur, quare vt eſt in corde

permixtus cum calido innato eſt organũ operationum quæ fiunt in corde nedum propter uitam; verum etiam propter meliorem vitam: vt vero extra cor reperitur vtilis ad calorem influentem per vniuerſum corpus diſtribuendum non per partem poſt partẽ ne tarda fiat diſtributio, ſed per venas & arterias vt quam citisſime calor diffundatur. Pręterea vtilis eſt ad ſeminis eiaculationem dum ad teſtes tranſmittitur, hanc quoque vtilitatem habet vt ſit materia ſpiritus animalis, quemadmodum voluit Gal. 7. de Pla. 3. plures itaque habet vtilitates, & ſic plures fines nõ itaque vnum.

Huic dubitationi non eſt difficile reſpondere, ſi dicamus non eſſe inconueniens ſpiritum vitalem plures habere vtilitates, & ſic plures fines, vnum tamen maxime omnium propriũ eſſe, qui competit omni ſoli, & ſemper, & nihil alius eſt, quam cuſtodia facultatis vitalis, reliquæ vero vtilitates & ſi competant omni, non tamen ſolis ſpiritibus vitalibus conueniunt, quod ita manifeſtum eſt, vt in hac reprobanda non ſit tempus conterrendum.

Sed quod maiorem difficultatem facit, eſt illud quod propoſuit Gal. 7. de pla. 7. vbi dicebat ſpiritum hunc eſſe facultatis vitalis vehiculum, quoniam eadem eſt ratio de vitali quæ de animali. Sed quomodo ſpiritus hic poteſt eſſe facultatis vitalis vehiculum, cum hæc facultas per corpus arteriarum peruadat, & qualitatis diffuſione tranſmittatur, vt docuit Gal. 1. de ſem. 16. non autem cum ſpiritu per illarum cauitatem deferatur vt monuit Gal de cauſis pul. 4.

Neminem vt ingenue fatear hactenus vidi, aut audiui, qui de hac re quidquam probabiliter fuerit locutus; immo neminem vidi, qui difficultatem hanc attigerit; quare aut ego omnium ineptiſſimus, aut alij rei difficultatem non agnouerũt; quæ tamen multo maior eſſe videtur, quoniam cum Gal. 7. de pla. 7. diximus ſpiritus à natura fuiſſe excogitatos, vt facultates horum beneficio aliorum poſtea corporum commercium haberent: at ſi facultates per medios ſpiritus craſſioribus corporibus copulari debent, neceſſe eſt, vt in quibus partibus sũt facultates, in ijſdem ſint & ſpiritus: ſed facultas vitalis copulatur corpori arteriarum animalis neruis, naturalis corporibus venarum ergo in ſubſtantia arteriarum, neruorum & venarum ſpiritus iſti exiſtant eſt neceſſe: quę tamen opinio Galeni ſententię aduerſatur 7. de pla. 4. vbi diſputat nunquid per omnes neruos permeent ſpiritus animales, quẽadmodum per opticos, & tandem concludit non omnibus neruis meatus eſſe concedendos, & ob id nec ſpiritus per ipſos confluere, quod ſi ſic eſt, ergo falſum eſt, quod ab eodem Galeno proponitur 7. de pla. 7. nempe facultatem animalem vti ſpiritu animali tanquam uehiculo vt cæteris corporis partibus copulari poſſit, quare dicendum videtur, aut facultatem in cauitatibus vna cum ſpiritibus reſidere quod eſt abſurdum, ſpirituũ ſubſtantiam in corporibus ipſorum ductuum exiſtere id quod plerique negant, & cum ratione pugnare videtur, quoniam daretur penetratio corporum.

Quamobrem in re tam diffi- li & ardua nobis ſat erit ingenia veſtra excitaſſe, ſi veritatem non vndequaque fuerimus aſſecuti. Pro hac itaque difficultate tollenda mihi dicendum videtur non in ſubſtantia neruorum, aut arteriarum ſpiritus animales, aut vitales ineſſe, ſed qualitatem quandam, quæ ab illorum ſplendore profecta per vniuerſam ipſorum ductuum ſubſtantiam diffunditur, quemadmodum à ſolis ſplendore dicebat Gal. 7. de pla. 4. qualitas quędam per vniuerſum ae

rem

rem diffunditur substantia solis immota manente: per ipsam itaque qualitatem & spirituum proprietatem statuendum est facultatem tum vitalem tum animalem corporibus ipsis copulari, hoc etiam illustrari potest exemplo venenorum letaliũ quorum vbi minima particula in animalis corpus ingressa fuerit, ut scribit Gal. primo, de sem. 16. totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat, non sanè quod substantia ipsorum per totum penetret corpus: neque enim potest tam paucus succus tam breui temporis spatio corporis interdum maximam molem replere: sed qualitatis diffusione vniuersum corpus momento temporis commutat, idem præstant venenorum remedia, quæ antidota & elexipharmarca nominãtur. quare non erit fortasse ab re si dicamus & ductuũ substantiam à virtute spirituum momento temporis alterari; & hac ratione facultatem vehicula nominari posse.

Sunt tamen quidam, quibus placet dari spiritus tum vitales, tum animales insitos; quemadmodum fuit Fernelius & ante ipsum illi, quorum sententia proponitur à Gal. loco nuperrime citato, atque tacite reprobatur, vtpote, qui aliam tanquã probabiliorem fuerit secutus, quæ nulla in parte à nostra diffidere videtur.

Verum ne gratis alios redarguere videamur, ab hac sententia nos illud dehortari videtur, quoniam si spiritus tum vitales tum animales essent insiti, cum per illorum motum facile dissipentur, instauratione assidua indigerent, at non habet vnde instaurentur, & præsertim spiritus animales, ergo non sunt insiti, quod non habeant vnde iustaurentur, patet ex hoc, quoniam spiritus animalis in cerebro generatur, neque ab eo recedit, insitos itaque instaurare nõ potest; quod si animales nõ sunt insiti, nulla necessitas cogit nos vt vitales insitos esse dicamus; sed vos cogitabitis, presertim cũ ad finẽ artis contẽplatio hæc parũ, aut nihil facere videatur.

De spiritu animali. Cap. XXVI.

PRopofita spiritus vitalis natura, superest vt de spiritu animali verba faciamus, quando ex vitali spiritu animalem spiritum fieri diximus. cuius definitio eiusmodi esse potest.

Spiritus animalis est corpus ethereum ex spiritu præcipue, ac proprie genitũ à virtute propria, vt facultas animalis neruoso corpori copuletur) causam formalem proposuit Gal. j de symp. cau. 2. & iure optimo statuit corpus æthereum, vt illius tenuitatem, motum, lumen, & calorem complectitur, & quam similimum corpori cœlesti constitueret idoneum facultatis animalis futurum instrumentum & vehiculum seu domicilium vt voluit idem Gal. 7. de pla. 3. hac enim ratione differt à spiritu vitali & naturali, vt in hac definitione nihil aliud desiderari videatur; nihilominus vi rei natura magis ob oculos præponatur, atque dilucidior euadat, non ab re fore iudicauimns, si & causa materialis ex qua & efficiens, & finalis exprimeretur: Causam itaque materialem ex qua proposuit Gal. lib. de vsu p. 3. & 3. de pla. vlt. 7. de vsu par. 8. & 9. eiusdem 4. portio namque spiritus vitalis per cervicis arterias ad cerebri basim sursum repit, atque in ijs, tum maxime, quæ in plexu ratiformi, conficitur, mox in cerebri ventriculos ingreditur, per alios plexus, quia secundarum similitudine choroides dicuntur, atque in ipsis ventriculis animalis primum exacte efficitur, quemadmodum docuit Gal. 7. de vsu p 8. non ta-

men in omnibus, ſed in medio & poſteriore, anteriores namque præparant potius materiam quam ipſam conficiant & penitus abſoluant, quemadmodum docuit Gal. 8.de vſu p.10. at in medio ventriculo, ita elaboratur, vt nomen ſpiritus animalis nerui queat, cum abſolutiſſimam & vltimam perfectionem in poſteriori conſequatur, quare 8.de vſu p.12.iure optimo dixit Gal.ventriculum poſteriorem cæteris omnibus minorem eſſe: cum ſubſtantias minus materiales recipiat, quæ tamen maiorum ſint virium & facultatis. Ex quibus conſtat ſpiritum vitalē, vt fiat animalis plures concoctiones deſiderare, & plures præparationes, præparatur nanque in ipſis arterijs aſcendentibus, concoquitur in plexu retiformi, elaboratur in choroide, vltimam concoctionem abſoluit in uentriculis cerebri, ex longa itaq; & diuturna huiuſce ſpiritus cōcoctione proprietatē quandā qualitatis vi facultatis alteratricis acquirit, vt inſtrm animæ, ſeu vehiculū idoneū reddatur.

At nos adiunximus particulam illam propriè & præcipue fieri ex ſpiritu vitali) quoniam Gal. 3.de pla.vlt.& 6.de vſu p.17. videtur aſſerere aliqua ex parte fieri poſſe ex quadam ſanguinis benigni exhalatione exiſtentis in iis uenis, quæ ad ventriculos ipſos pertinent. Accedit etiam quod Galen. 5. de vtilitate reſp. 5. probat ex inſpiratione per nares potiſſimam alimenti partem accedere, quod confirmat etiam auth.Hipp.vbi ait principium alimenti ſpiritus eſſe os nares, guttur, pulmones, & aliam reſpirationem nempe difflationem: aer namque per nares inſpiratus anteriores cerebri ventriculos petit, qui à natura fabricati ſunt ad inſpirationem, & expirationem efflationemque cerebri atque ibi aer inſpiratus conficitur ac præparatur, & per meatum maximum in medium ventriculum, atque tandem in poſteriorem tranſſumitur docuit hoc Gal.8.de vſu p.10. & 11. Ex quibus ſatis conſtat ſpiritum animalē proprie ac præcipue fieri ex ſpiritu vitali, maiori vero ex parte ex aere inſpirato & fortaſſe aliqua ex parte ex benigni tenuiſſimi ſanguinis exhalatione, qui in uenis iuxta cerebri uentriculos exiſtit, in quibus ventriculis per concoctionem qualitatis proprietatē acquirit, qua idoneū animæ inſtrumentum efficitur, & propterea aptum ad operationes animales obeundas. Copioſus itaque purus, æthereus ac luminoſus eſſe debuit, & ab omni cōtrarietate longe remotus, quare temperatiſſimus vt corpori cęleſti eſſet quam ſimilims & perpetuo; ac regulari motu conſeruaretur.

Tertio loco (a virtute ꝓpria) fieri diximus hoc eſt ab alteratrice facultate determinata uentriculorū cerebri & præcipue poſterioris, & per vētriculos cerebri nō intelligo ſpatiū & cauitatē ipſorū, ſed illorū parietes & ꝑſertim arterias, quę plexum ratiformē conſtituunt, cum materiā propriam ſpiritus animalis ſpiritum vitalem cum Galeno eſſe ſtatuerimus, & hoc eſt quod idem Galenus ſcribebat 4.de differentijs pulſ. 2. ubi dicebat ſpiritus animalis, vt procreetur plurimum conferre ſubſtantiam, quam ſpiritualem habent arteriæ.

Poſtremo loco diximus officium ſeu finem proprium ac præcipuum vſum ſpiritus animalis eſſe, ut (facultas animalis corpori neruoſo copuletur) & a neruoſo corpore non excludo cerebrum & ſpinalem medulam, cum hæc ſint principia neruorum, hanc vtilitatem ſignificauit nobis Gal.7.de pla.7.in calce nec non 5.in 6. de vulg.morb. 5.ſeptimo namque de pla.dicebat ſpiritum hunc eſſe neceſſarium, vt anima commercium haberet cum corpore, 5.vero in 6.de vulg.morb. dicebat quo ad ipſius cerebri ac ſpiritus in eius ſinibus contenti naturalis temperies in

uiolata

violatã feruatur viuere poffe animal, at fi contentus in vẽtriculis fpiritus aut prorfum corruptus fit, aut à naturali temperatura vna cum ea quę in cerebro eft longiffime difcefferit, morte m neceffario fequi, fic enim vertunt tranflatores. quibus verbis, quis eft ille, qui non videat fpiritum animalem neceffario defiderari. vt anima commercium habeat cum corpore, ipfi alligetur, & ab eo cuftodiatur, quando ex illius corruptione vinculum animæ difrumpitur & ipfa recedit à corpore. unde mors neceffario fubfequitur.

Sed hoc loco fuboritur difficultas non contemnenda quoniam Gal. loco nuperrime citato dicebat mortem neceffario fequi, vbi fpiritus animalis contentus vel prorfus corrumpitur, vel a naturali temperamẽto longe difcefferit. 7. vero de pla. 3. dicebat fi contingit vt ex collifione ventriculorum cerebri fpiritus inaniantur animal minime vita priuari, fed ftupidum fenfu motuque erepto fieri quo ad rurfus collectus fpiritus reftituatur, quare quifpiam dicere poffet Galenum fibi met. aduerfari, quando corruptio fpiritus animalis & illius inanitio fpiritus diffipationem prorfus fignificent, etenim dicet quis cur ex corruptione fpiritus animalis mors fubfequitur? non alia fane ratione nifi quia deficit organum illud per quod anima corpori copulatur; at per inanitionem eiufdem fpiritus non ne hoc idem fequitur? ergo nihil refert fiue dicamus ad fpiritus corruptionem, fiue ad inanitionem mortem fubfequi: nihlominus Gal. 7. de pla. 3. dicebat ad fpiritus animalis inanitionem animal non interire 5. vero in 6. 5. ad eiufdem corruptionem interire quare videtur fibimet contrarius.

Contradictionem hanc fatis apparentem vt foluerent nònnulli Clariffimi viri dixerunt fpiritum animalem dupliciter cõfiderari poffe vno quidem modo vt in ventriculis cerebri continetur; altero modo vt in poris & in illius meatibus fimul cum calido innato permifcetur qua diftinctione propofita omnem cõtradictionẽ fubmouebant, etenim dicebant fi fpiritum animalem confideramus vt in ventriculis cerebri continetur, ad illius corruptionem feu inanitionem animàl vt vita priuetur, non effe neceffe, atque de hoc fpiritu locutum effe Galenum 7. illo de pla 3. quod fi confideratur ut in poris eerebri cum calido innato permifcetur neceffario fieri vt ad illius corruptionem feu innanitionem mors fubfequatur.

Solutio hęc vera quidem eft non tamen verbis Galeni admodum confentanea, quoniam Galen. 5. illo in 6. 5 nõ loquitur de fpiritu animali, qui in poris cerebri cum calido innato permifcetur, fed de fpiritu in ventriculis contento quemadmodum vnicuique manifefte conftare poteft verba Galeni tum græca tum Latina intuenti. habet enim Gal. hæc verba 5. illo in 6. de vulg. morb. 5. ὁ ἂν δὲ ἢ τοι τὸ κατὰ τὰς κοιλίας πνεῦμα διαφθαρῆ παντάπασιν, ἢ τῆς κατὰ φύσιν κράσεως ἐπὶ πλεῖστον ἐκτραπῆ μετὰ τῆς κατὰ τὸν ἐγκέφαλον ἀκολουθεῖν αι. Ex quibus verbis fatis conftat Galenum fermonem habere de fpiritu in ventriculis cerebri exiftente, non autem de fpiritu, qui in potis & meatibus cerebri cum calido innato permifcetur, fed quod occafionem dubitandi dederit fuit non Galeni inconftantia, fed translatorum nimia fapientia, qui dum verba Galeni neglexerunt confequentia pro antecedentibus protulerunt. Quare ut omnis dubitatio fubmoueatur, verba Galeni hoc modo funt trãsferenda. At fi fpiritus in uẽtriculis cõtentus prorfus fuerit corruptus, vel a naturali tẽperatura longiffime difcefferit, id fubfequi, fubauditu, necefle eft, cum temperatura cerebri, ac fi diceret Galenus, fi animalis fpiritus in ventriculis

contentus prorſus corrumpatur, vel à naturali temperatura longe recedat,neceſſe eſt quoque vt temperatura cerebri maxime patiatur & a naturali ſtatu longe diſcedat,ex quo quidem ſequitur vt mors continuo ſuccedat,cum ſpiritus, animalis neque corrigi neque reparari poſſit, corruptis namque inſtrumentis & prorſus diſſipatis qui fieri poteſt vt facultas munus ſuum obire poſſit?

Sed quid dicendum eſt ad Galeni authoritatē 7.de Pla.3.vbi aſſerit ex inanitione ſpirituum in uentriculis exiſtentiumanimal non interire, ſed ſenſu motuque tantummodo priuari.

Mihi certe in hac re nihil aliud dicendum videtur,quam illud quod docuit Gal.5 illo in 6.de vulg.morb. 5.neceſſario fieri, vt vel prorſus corruptis ventriculorum ſpiritibus,vel à naturali temperatura longiſsime diſtractis cerebrum quoque à naturali temperatura longe recedat, & mors ſubſequatur, quod tamen non eſt dicendum de inanitione ſpirituum ventriculorum per colluſionem,quoniam dum ventriculi cerebri colliduntur,ſpiritus non prorſus disſipantur, ſed ad poros & meatus cerebri vi quadam truduntur & compelluntur,qui poſtmodum recurrunt & collecti reſtituuntur, quare aliud eſt ſpiritum animalem prorſus corrumpi,ſeu diſsipari, aliud ventriculos ex colliſione inaniri: etenim dum ſpiritus contenti prorſus corrumpuntur, neceſſe eſt quoque, vt qui in meatibus & poris cerebri exiſtunt,corrumpantur ac disſipentur, prorſus autem corrumpuntur ſpiritus animales contenti,vt voluit Gal. 5.met. 12.vbi prorſus reſoluuntur, hoc aūt contingit ex defectu pabuli ſeu nutrimenti, tum proprii,tum alieni, proprii quidem, vbi deficit ſpiritus vitalis, quemadmodum euenire ſolet in extremis inedijs, & in motibus vehementisſimis, tum animi,tum corporis, vt in ſubito & vehementi timore,in maxima voluptate,in triſtitijs,anxietatibus,ira, curis & ſolicitudinibus,quib.vigiliæ ſubſequuntur:nec non vbi labores corporis vehementius aucti fuerint; alieni vero vbi cohibita fuerit reſpiratio,quo tempore ſpiritus animales contenti maxima parte pabuli deſtituuntur, quoniam præterquam quod aere non recreantur, ſpiritus quoque vitales vi caliditatis attenuati reſoluuntur, quo fit vt ſpiritum animalem nutrire nequeant,non eſt itaque mirum ſi Gal.quādoque dixerit ex inanitione ſpirituum, quæ fit per colliſionem non interire animal, quandoque vero ex omnino da ſpirituum contentornm corruptione interire.

De temperatura. *Cap.XXVII.*

PRopoſitis & explicatis inſtrumentis exterioribus ſeu extra cōſtitutionem poſitis,ſupereſt vt loquamur de interioribus, quæ conſtitutionem abſoluunt, cuiuſmodi eſt temperatura & compoſitio:nam ſi actiones ſecundum naturam à conſtitutióne naturali potiſsimum prodeunt, vt voluit Gal. 8. meth. 9. atque illud manifeſtum ſit corporis optimam conſtitutionem conſtare ex commodo tēperamento, & congrua partium compoſitione ex Gal.in 5.de optima corporis cōſtitutione,cui dubium eſt temperaturam & compoſitionem vel eſſe organa facultatum,vel ipſæ met facultates; at non eſſe facultates, ſed organa docuit Gal. 2. de temp vltimo vbi videtur redarguere antiquos, qui de formatrice facultate parū aut nihil dixerunt, & totam cauſam partium formandarum ſolis qualitatibus attribue-

tribuerunt, Cum tamen inquit Gal. rationi magis consentanaum sit hæc organa esse; formatorem alium ; nec per organa intellexit vnam vel alteram qualitatem per formatorem vero temperaturam,quemadmodum quidam inepte crediderũt: nam Gal. ibidem ita distinxit formatorem à temperatura, vt turpe sit de hac re du bitare:cum enim paulo inferius dubitasset Gal. nunquid partim figuræ temperamentis potius,quam formatrici facultati essent tribuendę,atque statuisset hæc po tius esse opera formatricis virtutis quam tempēraturæ, quis est adeo demens qui non fateatur ex mente Gal.temperaturam à facultatibus esse distinguendam, & si quispiam diceret hoc verum esse de formatrice facultate, non autem de cæteris facultatibus corpus nostrum gubernantibus, is audiat Galenum in lib.de formatione fœtus vlt.ibi namque Gal. admonet vim & substantiam illam, quæ corpus nostrum finxit,adhuc in conformatis particulis manere, iisque ad proprias functiones celebrandas vti, atque tandem concludit, si Deus aut certe diuina vis est illa, quæ corpus nostrum conformauit, diuina etiam est illa,quę nos tegit,& quæ functiones moderatur; vt ex his nullus amplius relictus sit locus, quo se tandem recipiant: Quod si quandoque videbimus Galenum temperaturæ opera illa adscribere,quæ facultatis sunt propria,dicendum est,vt alias admonuimus Galenũ, tunc medicè potius quam philosophicè fuisse locutum, cum ad medicum pertineat de instrumentis disputare, de facultatibus ad philosophum, quod discrimē docuerunt Plato & Hipp.cum alter de animæ facultatibus, alter de corporis instrumentis plura disseruerit, quemadmodum testatum nobis reliquit Gale. 6. de pla.vltimo non est itaque dubitandum,quin temperatura sit organum, de quo nobis sermo prius est habendus, quoniam est organum principale, vndè actienes omnes originem trahunt, vt superius quoque demonstrauimus. Cuius definitio eiusmodi esse potest.

Temperatura est proprietas quædam mixti pullulans ex mutua actione & passione quattuor contrariarum qualitatum elementorum, ut quælibet facultas munus suum obire possit.)hanc veram esse temperaturæ descriptionem arbitramur, etenim causa formalis est proprietas & propterea quinta quædam qualitas & virtus non alterius tamen naturæ ab his,à quibus exoritur; Causa materialis est mixtum; Cã efficiēs est actio & passio mutua quattuor qualitatũ inter se pugnãtium, finalis est vt facultas munus suum exercere possit; quę omnes particulę ad exactã temperamenti naturam cognoscendum sunt explicandæ. Diximus itaque primo loco temperaturam esse (proprietatem seu virtutem)& propterea quintam quãdam qualitatem simplicem virtute tamen compositam, quæ vna superstes reliquis in congressu secundum suum robur pereuntibus omnium vires potestate cō plet eiusque quasi sinu suo complexuque recipit quemadmodum docuit Aui.j. primi doct.3.c.1.& quemadmodum insinuare videtur Gal.7.de pla.j.vbi docet ex optima harmonia & commoderatione trium virtutum nempe rationalis,irascibilis, & concupiscibilis oriri quartã quandã virtutem.quæ iustitia noĩari pōt,seu ęqualitas,seu symetria,quæ & pulchritudo perbelle dici potest,quæ virtus est simplex, virtute tamen composita,& hæc vna superstes, reliquis in congressu secundum omnem sui uim pereuntibus omnium vires potestate complectitur, quare quod Gal. de virtutibus docuit,illud idē qualitatibus accommodare non ineptum fore iudicauimus, quare Fernelius immerito quidem Carpit Auicēnam,quo

niam

niam nunquam fuit opinio Auicēnæ, vt primæ qualitates in mixto penitus interi rent,imò vt omnes ſciunt,eius fuit ſententiæ Auicēna, vt formæ elementorum in mixto remanerēt in eſſe perfecto,quare ſi vult formas remanere,debemus ne credere diuinum hunc philoſophum adeo ſtupidum fuiſſe, vt vellet formas ſine accidentibus proprijs & in ſeparabilibus remanere?hæc doctrina non eſt digna tanto uiro.

Diximus autem proprietatem potius ſeu qualitatem quam habitum, aut potentiam naturalem,aut pasſibilem qualitatem,aut formam,quoniam proprietas hæc nullum eſt ex his ſimpliciter ad hæc tamen quodammodo referri poteſt:ad habitum quidem refertur ea ratione qua permanens eſt:ad potētiam uero naturalem, quoniam omne corpus optimo temperamento conſtitutum potentiam habet naturalem ad reſiſtendum quemadmodum docuit Gale.in arte med.Ad pasſibilem autem qualitarem , quoniam ex pasſibilibus qualitatibus conſtat: Ad formam tandem,eo quia formam ſubſtantialem circunſcribit;quare nullum aliud genus,nulla forma temperaturæ magis erat accommodata, quam uel proprietas, uel qualitas. Diximus præterea qualitatem hanc eſſe ſimplicem, in ea tamen quandoque uim duarum qualitatum uigere poſſe, etenim ſi uis omnium qualitatum æqualis fuerit ad pondus, tūc unica & ſimplex qualitas erit ſtatuenda;neque in ea uis duarum qualitatum uigebit,quod ſi uis omnium qualitatum æqualis erit ſecundum iuſtitiam,tūc vel vnius qualitatis vis tantūmodo uigebit,vel duarum,quare quocūque modo conſideretur temperatura ſemper vnica erit qualitas & ſimplex,quādoque tamen virtute duplex erit,non tamen diuerſum quid à qualitatibus elementorum vt quidam ſomniarunt.

Cauſam materialem in qua ſignificat nobis particula illa(compoſiti ſeu mixti) quoniam materia ſubiecta temperaturæ non eſt elementum, ſed ex elementis mixtum.

Diximus pręterea pullulare(ex mutua actione & pasſione quattuor qualitatum elementorum inter ſe pugnantium)vt cauſam efficiētem haberemus, atque ſtatuimus ex mutua potius actione & pasſione quam ex mixtione fieri, quoniam mixtio non eſt qualitatnm ſi proprie loquamur,ſed corporum vt docuit philoſophus j.degeneratione tex.83.non enim quodcunque cum quocunque miſceri poteſt, ſed oportet vtrunque vt ſit ſeparabile, quod nulli accidenti competit. deſiderari autem mutuam actionem & paſſionem inde patet, quoniam cum qualitates ſummæ ſint in mixro, & contrariæ, vis vnius vi alterius reprimitur & quaſi vinctæ inhibentur, ne ſuas ſummas vires exerceant:hinc virium acumina, exuperantiaſque retudiſſe dixit Ariſto.& cum eo Aue.ſub finem primi de generatione,quare remiſſio & refractio illa philoſophorum & Auicennæ nihil aliud ſignificare videtur quam inhibitionem hanc, quæ non potentiam, ſed actum tollit, quare contraria non erunt in eodem ſubiecto quando qualitates ipſe, vt diximus in mixto ſummas vires non exhibeant.

Quòd ſi quiſpiam quærat,qua ratione elementa in mixto temperamenti ſpeciē proferant; dicendum eſt elementa ipſa non ſuæ molis pondere,neque qualitatum ordine ſiue gradu, quippe qui omnibus ſummus ineſt,ſed vitium comparatione proferre:quæ vires non qualitates ordinem ſecūdum,aut molem in ſubſtantia cōſequuntur,ſed ex vtriſque ſpectantur,& conſiſtunt,qui enim in puſillo igne ineſt

calor

calor eodem eſt ordine atque qui in ampliori conſiſtit,minus tamē calefacit, quia non parem molem obtinet.Contra ferrum candens & ignitum tametſi depreſſiore quam flamma ſit calore,vehementius tamen exurit, quoniam denſa eſt multaque illius ſubſtantia.

At ex dictis oritur difficultas, quoniam ſunt nonnulli,qui exiſtimant æqualitatem hanc ad pondus haberi non poſſe,eo quia ſi quandoque ſubſiſteret, nulla fieret actio,eo propterea mixtum cum æqualitatem hanc nactus eſſet,nunquam diſſolueretur,neque interiret,diſſoluitur tamen,ergo nunquam æqualitas hæc ſubſiſtit.

Hæc ratio concluderet quidem ſi temperatura illa æqualis per ſe ſubſiſteret, neque adminiculo caloris innati conſeruaretur.Verum cum ad illius tutellam plurimum conferat calor hic natiuus, atque hic in eodem ſtatu non permaneat, hinc fit, vt temperatura hæc æqualis momentanea ſit,& labilis.

Quod autem nulla fieret actio ſic probant, quoniam in quacunque actione deſideratur proportio maioris,& minoris inter agens & paſſum, ſed in his qualitatibus non eſt huiuſmodi proportio, cum omnes vim habeant in ſummo,in his itaque actio nulla eſſe poteſt.

Facile reſpondere licet,ſi dicamus proportionem inter agens,& paſſum maioris & minoris deſiderari in his,ex quorum actione,& paſsione futura eſt alterius abolitio,quę proportio non deſideratur,quando ex illa pugna non diſſolutio,ſed temperamentum eſt futurum : immo æqualis pugnantium proportio deſideratur,in rerum itaque natura ſubſiſtit temperamentum hoc æquale ad pondus,quo à Gal. ſimpliciter abſolutum appellat,ſed ita ſubſiſtit vt cogitatione potius, quam ſenſu depręhendi poſſit,quando momento temporis perduret,atq; ob id fortaſſe dixit Auicena, æqualitatem hanc non haberi, præſertim in corpore humano, & illius, membris,& propterea neque à medico conſiderari, niſi ea ratione, qua lex eſt & regula cæterarum,quare non per ſe,nec primo,ſed per aliud à medico cōſideratur.

At illam per ſe,& primo conſiderare à medico fatentur omnes, quam equalem ad iuſtitiam vocant: hanc autem vt vnuſquiſq; facile intelligat,ſtatuamus in toto, vel corporum, vel viuentium vel animalium genere duo extrema, extra,quę nihil poſſit huiuſmodi conſiſtere,atque inter hæc medium quoddam mente concipiamus,quod quia ex ęquo ab illis extremis diſtat εὔκρατον ideſt bene temperatum,& σύμμετρον, ideſt conſentaneum, atque moderatum appellabimus non ſimpliciter & abſolute, ſed in ſuo genere, vel ſpecie,hoc medium & moderatum temperaturā æqualē ad iuſtitiam vocant, quoniā quaſi ritu iuſtitiæ illud omnino temperatum eſt, quod generis ſui decoram illam & conſentaneam æqualitatem adeptum eſt, qua munijs omnibus, ad quæ natura ducitur, integre & incorrupte fungitur, quē admodum inquit Gale. ficum temperatum dicimus,qui plurimus fructus producit, item canis temperatus dicitur,qui ad venenum robuſtiſſimus,& inter domeſticos mitiſſimus eſt,& ſic de alijs rerum generibus dicendum eſt.

Hæc autem temperatura in ſuo genere,vel in ſua ſpecie in humano corpore valde proxima eſt tēperaturę,quę dicitur æqualis ad pondus, quoniā homo inter animalia perfectiſſimus exiſtit, eiq; donatus fuit tactus, vt omnes differentias cognoſceret,quare neceſſe fuit, vt temperaturam admodum æqualem haberet, & ſi non ad pondus, illi tamen admodum proximam.

Hæc autem temperatura non vnicam habet differentiam, sed varia est prout variè comparatur. siquidem cōparari potest vel cum his, quæ sunt diuersi generis, vel cum his, quæ sunt eiusdem generis; si cum his quæ sunt diuersi, generis oritur primus ordo, & hac ratione solemus dicere, hominem inter omnia generabilia, & corruptibilia esse perfectissimæ temperaturæ.

At si comparatio fiat cum ijs, quæ sunt eiusdem generis, vel speciei, tunc fit cō paratio vnius indiuidui, vel cum pluribus indiuiduis, vel cum vno tantum, si cum pluribus, vel cū omnibus, vel nō cum omnibus, si cum omnibus, tunc licet dicere, hic hō cęterorum hoīem est pstantissimus, & perfectissimus, quod si cōparatur nō cum omnibus, sed cum pluribus, tunc vel comparatur cum pluribus diuersorum climatum, vel eiusdem climatis, si diuersorum climatum, nos cōsueuimus dicere, hunc hominem esse magis perfectum, quam Galli, vel Germani, quod si eiusdem climatis, tunc habet locum, cum dicimus inter Italos hic est temperatissimus. Qđ si comparatio fiat vnius ad vnum, tunc fit vel ad alterum; vel ad seipsum, si ad alterum, tunc licet dicere, hic est melioris temperaturę, quam ille; si ad seipsum, vel secundum totum, vel secumdum partem, si secundum se totum, nos dicimus hunc hominem hoc tempore magis esse temperatum quam alias: si secundum partem fiat comparatio, vel fit comparatio vnius membri ad aliud mēbrum, vel eiusdem membri ad seipsum: si vnius membri ad aliud nos dicimus hepar exempli gratia esse magis temperatum quam cerebrum, si eiusdem membri ad seipsum, nos dicimus hoc membrum hoc tempore magis temperatum esse, quam antea, & hi sunt omnes modi, quibus temperatura hæc in humano corpore considerati potest.

Postremo loco dictum fuit, vt (quęlibet facultas munus suū obire possit) quoniā fines & vsus præcipuus temperaturæ non est vt facultas cōmercium habeat cum corpore, quamuis ad hoc etiam non parum conducat: sed vt facultas; & actus primus descendat in actum secundum, & actu operetur, quam vtilitatem proposuit Gal. 2. de naturalib. fac. vlt. in lib. de vtilitate resp. vlt. 3. de symp. causis 1.7. meth. 3. & aliis pluribus in locis. 2. namque de fac. natur. vlt. dicebat quamlibet particulam agere ob certam quandam temperiem, in libro de vtilitate resp. vlt. tria proponebat organa prima ad operationem summe necessaria, spiritum nempe animalem, calidum innatum, & cōstitutionem, per quam intellexit temperaturam, vt est ibi videre, ex quo loco obiter notare debemus ex mente Gale. calidum innatum esse quid diuersum a tēperatura: quomodo vero tria possint esse organa prima, superius fuit declaratum. 3. de symp cau. j. dicebat certam quandam quattuor elemētorum temperiem, quæ proprietatem corporis ventriculi facit mutationis ciborum esse causam. adiuuāte plurimum calido elemento 7. meth. 3. admonebat actionem quamlibet ab aliarum actionibus differre tantum, quantum ipsa particula aliis, quæ illas edunt, est diuersa, diuersam vero esse eo quod temperiem habet diuersam, vt exempli gratia, actio cordis differt ab actione iocinoris, quia temperatura cordis differt à temperatura iocinoris, quam vtilitatem quoque dum spectaret Gal. 5. de lo. aff. vl. dicebat actionis causam esse facultatē vt eius essentia posita est in determinata temperatura partis, ex quo loco quidam inepte crediderumt, temperaturam esse eandem met facultatem, nō animaduertentes Galenum eo modo fuisse locutum, vt significaret temperaturam esse præcipuum facultatis organum ea ratione, qua descendit in opus & in actum secundum; in hac enim operatio ne facul-

ae facultas ita pendet à temperatura, vt essentia facultatis apud medicos quodammodo statui possit, quare non immerito dicebat Gal. j. de præsag. ex pul. 4. facultatis essentiam positam esse in commodo temperamento vbi subdit Gal. vt si facultas sit temperatissima, strenue fungatur munere suo. Sed quomodo facultas (si proprie loqui velimus) dici potest temperatissima, cum facultates non sit mixtum quoddam, quod habeat temperiem, quare per facultatem intellexit subiectum, seu domicilium facultatis, quod potest, ac debet esse temperatissimum, si pars strenue debet munus suum exercere. Gal. itaque non semper immo raro proprie loquitur. Ex his itaque concludendum est, vsum temperaturæ præcipuum ac proprium esse, vt facultas quælibet operetur, quare merito statuitur primum ac primarium organum in qualibet operatione, dummodo operationis originem spectemus, neque fieri potest, ut facultas quæcunque sit, munus suum perfecte obire possit, quotiescunque pars ipsa, quæ operari debet, à naturali temperamēto recesserit, & hæc de temperatura, quantum proposito nostro facere videtur.

De vnitate. *Cap.* XXVIII.

PRæter spiritus, ac temperaturam inter organa facultatis nos quoque enumerauimus compositionem, à qua tamen non exclusimus vnitatem, quare videndum est quid sit in humano corpore vnitas, quid compositio, & qua ratione ad operationem conferat.

Vnitatem itaque dicimus esse diuersorum corporum ad vnam formam cohærentiam virtute formatoris ad operationem secundaria quadā ratione conferentem:) quo in loco illud est animaduertendum nos per vnitatē nō solum intelligere vnitatem partium similarium; verum etiam dissimilarium, quam continuitatē & contactum, & compositionem licet appellare: diximus itaque vnitatem hanc esse cohærentiam diuersorum corporum ad vnam formam; quoniam nō omnis cohærentia diuersorum corporum vnitatem facit, sed necesse est, ut ex illa cohæren tia & coniunctione vnica forma suboriatur, hanc autem cohærentiam fieri virtute formatoris docuit Gal. lib. j. de elementis & in lib. de facultatibus naturalibus. Quod autem unitas hæc gratia operationis à natura comparata, sit ex hoc facile constat, quoniam cum anima, atque illius facultates gratia operationis existant, & corpus sit animæ gratia, ergo & quæ corpus constituunt, erunt gratia operationis. Ex quo etiam facile intelligitur, qua ratione vnitas sit organum facultatis cum eius organum corpus existat, ut docet Gal. 1. de vsu par. 2.

Hęc autem vnitas duum est generum, altera quidē propria est partium similarium; alia dissimilarium, quæ propria est similarium sit per comistionem quattuor elementorum, quemadmodum docuit Gal. 1. de differentijs morb. cap. 3. nō quod partes similares nostri corporis proxime fiant ex quattuor elementis, quoniam nihil simplici elemento nutriri, sicut neque nasci potest: sed longa quadam rerum serie & commutatione ex ipsis elementis defluere dicimus. ex semine nāque originem ducunt, & materni sanguinis beneficio adolescunt, semen uero fit ex sanguine, quemadmodum ab eo omnem partium substantiam, aut proxime, aut tandem prodire videmus, quam esculenta, & potulenta ingesta nobis innouare solent: hec autem esculenta, siue sint carnes, siue pisces, siue terræ fruge, siue stirpium fructus

necesse est,vt ex quattuor elementis tãdem alimentũ trahant,quare ex commistione quattuor elementorum partes similarres in vnum coire docuit Gal. præsertim cum ex eorundem commistione suę compositionis differentias obtineant; nam pro diuersa calidi,frigidi,& sicci commistione fit,vt caro alia mollior, alia durior sit; alia densior,alia rarior & laxior;at vnitas, quæ propria est dissimilium contactus, cohęrentia, & coalitus proprie nominari potest, quemadmodum videre licet in ossibus,quę per symphisim copulantur,nec non in coniunctione cutis cum subiectis membranis & membranarum cum musculis, ligamentis, neruis, venis arterijs & tendinibus,quæ partes similares se inuicem auuelluntur in abscessibus, sinibus,inflationibus, & tumoribus,atque huiusmodi solutam vnitatem apospasma Gal.in lib.de differentijs morb. 11. nuncupabat, partiumque organicarum tã tummodo ægritudinem propriam esse statuebat; sicut illam propriam & per se partium similarium dicebat, per accidens pro instrumentalium,quæ dissoluit quidem partem similarem, sed non ex toto.veluti est diuulsio imperfecta ligamentorum,neruorum,arteriarum, venarum & aliarum huiusmodi partium, fractura ossium & alia id genus vitia, quod si ex toto partes similares frangerentur,diuellerẽtur,contunderentur, vlcere afficerentur,extenderentur,atque alia huiusmodi vitia paterentur,quibus & vnio partium similarium dissolueretur, & contactus earundem diuelleretur, proculdubio morbus hic esset communis vtrisque partibus & proprie,ac per se vtrisque conueniret.quam doctrinam docuit Gal. non solum in lib.de differentijs morb.verum etiam 2.de offi.medici 25.

Non obstat itaque quod Auerrhoes accurate defendat continuitatem solum spectari in partibus similaribus: Argenterius uero in dissimilaribus.

Nam si vera instrumenti ratio est conformatio, a qua etiam uenam, & arteriam instrumentum appellamus, cum partium vnitas rei figuram & conformationem perficiat, quid est,quod impediat nos,quominus continuitatem,siue vnitatem ad partes similares pertinere dicamus?

Rursus si partes dissimilares ex similaribus constant,atque ad illarum conformationem vnitas desideratur, in partibus quoque dissimilaribus desiderari est necesse. At dicet quis,hoc non negat Argenterius,sed illud arcte tenet, ac tuetur ad similarium partium operationem vnitatem hãc nihil omnino conferre posse, proptetea quod inquit ille,ex solutione continui partium similiarium actio non impeditur,cum in uulneribus eadem fiat attractio,eadem retẽtio,alteratio, & expulsio,quæ fit etiam vbi pars non est vlnerata.

Sed hoc assumptum falsum est, quis enim est ille,obsecro,qui non videat ex vnitatis solutione partem ipsam imbecilliorem fieri, neque hoc Argenterius negare ausus est, at quomodo partem imbecilliorẽ fieri cognoscimus? non ne ex imminuta operatione,uel nimis aucta,si sic est,ergo vnitas ad operationem partium similarium maxime confert.

Præterea si optima temperatura fieri debet,necesse est vt elementa inter se cõmisceantur,atq; in vnum coeant,& illorum qualitates inter se pugnent, atque in vnam simplicem conspirent,quare vnitas habebit locum causæ, sine qua operatio commode fieri non potest.

Illud etiam opinionem hanc maxime cõfirmare videtur, quod in agglutinatione vulnerum in dies experiẽtia comprobatur, nempe vulnera multo facilius,& ci

tius

tius agglutinari, si labra inter se adducantur, quam si diiuncta maneant; unitatem itaque, seu continuitatem partium similarium ad operationem celebrandam plurimum conferre & propterea locum instrumenti habere dicendum est.

Quod autem Gal. plerisque in locis actiones partium similarium temperaturę attribuat, ab hac sententia deflectere non debet; cum ipsi tanquam primario instrumento adscribere soleat.

Cum vero in lib. de const. artis dicat Gal. partem similarem id esse, quod est ob certam ex elemētis mistionem, non ita includit temperaturam, ut excludat vnitatem: immo ipsam includit, cum mixtio absque vnitate fieri non possit, quare ad constitutionē partis desideratur vnitas, pars enim similaris, ut agat, una esse debet, nō autem in partes diuisa, ut docuit Gal. in lib. de diff. morb. 11.

Nec argumentum illud de pure, quod proponitur ab Argenterio ullius est momenti, immo contra ipsum retorqueri potest; nam si eadem est actio partis vnitæ & solutæ, ergo idem prodire debet effectus: sed in parte vnita ex concoctione sanguinis non prouenit pus, ergo nec prodire debet, dum est soluta, prodit autem, quia ob diuisionem continui à venis capillaribus decidit sāguis in vacua, ui cuius nec oppositio, nec agglutinatio, nec tandem assimilatio ita commode fieri possūt, quemadmodum antea dum pars erit vnita, unde pus, seu sanies, & sordes subsequi solent. ergo aliqua ex parte vitiatam esse concoctionem dicendum est.

Nec sequitur, si ex soluta partis similaris vnitate læderetur, concoctio fieri, vt, quotiescūque solueretur vnitas partis dissimilaris, morbus esset perpetuo in parte similari: nam iu partibus instrumētalibus fieri potest, vt ligamenta ex toto. soluantur, uel quod partes similares prius cohęrentes ab inuicem diuellantur, vt supra dictum est, illæsis tamen existentibus partibus similaribus quantum ad vnitatem attinet, vel si aliquam læsionem aliam patiantur, id per accidens contingat, quare non sequitur vt ex dissolutione partis dissimilaris morbus sit semper per se in parte similari; quamuis plerunque adesse contingat.

Nec authoritas Gal. 2. de comp. med. per locos cap. 1. nos mouere debet, vbi docet humectantia nullum inferre dolorem, quantū ad qualitatem attinet; ob multitudinem tamen partium instrumentalium morbos inducere, non autem partium similarium: Cum in his affectiones solum iuxta intemperiem simplicem existant: Hæc in quam authoritas huic sententiæ non aduersatur, quoniam Gal. ibi occurrit cuidam tacitę obiectioni, potuisset enim quis dicere, dolorem fieri ab humidis, cum videamus materiam humectam sui multitudine dolorem inferre: at inquit Gal. hoc non est dicendum, quoniam si spectamus non qualitatem materiæ, sed multitudinem, hęc parit morbus partium instrumentalium, non similarium, non quia soluat continuum partis similaris & dolorem inferat extēdendo, cum neque dolor, neque solutio continui sit morbus, sed quia partes similares, se inuicem disiungit ut voluit Gal. 2. de offi. med. 25. vnde soluta vnitas, & partem ampliorē reddit, vnde morbus in magnitudine aucta, si contingat, vt actio lædatur: & cum subdit in partibus similaribus solam intemperiem simplicem fieri, hoc dixit, vt significaret intemperiem, si quando coniungitur cum materia, ob multitudinem materiæ non fieri in parte similari; non quod vellet nullum alium morbum fieri in parte similari præter intemperiem simplicem, cum in ea soluta vnitas fieri possit.

Nec au-

Nec auhtoritas illa Galeni 2.de fac.naatural.cap.8.ipsi Gal. lib.de differentijs morb.& 3.de simp.causis j.repugnat, quemadmodum nonnulli crediderũt:nam etsi dicat ibi Gal.bubonem, aut vlcus concoctionem ventriculi labefactare non posse,nisi febris accedat; non loquitur tamen Galenus de bubone, aut de vlcere in uentriculo existente;sed in alia corporis parte à uentriculo longe remota,in qua si eiusmodi morbi extiterint, proculdubio non lædunt actionem uentriculi, nisi febris accedat, quæ morbos est totius corporis.

Nec valet si vnitas ad actionem partium similarium confert, ergo magnitudo & figura,quãdoquidem sine vnitate partium similarium actio absolui non potest, quæ tamen complementum perfecti suscipit, quamuis magnitudo, & figura mutationem aliquam suscipiat;illa namque ad constitutionem partis desideratur hęc autem ipsam iam absolutam consequuntur, quare accidentia externa, & separabilia dicuntur, quæ ad partis constitutionem nihil conferunt, quare nec ad illius operationem.

His itaque constitutis patet vnitatem partium similarium ad illarum actionem celebrandam non parum conferre posse.

Quod vero eadem partibus quoque dissimilaribus conueniat,ex his, quæ superius dicta sunt, satis constare arbitror, etenim cum partes dissimilares ex similaribus constituantur,si formam aliquam & compositionem idoneam ad actionem suscipere debeant,profecto necesse est, vt partes dissimilares vniantur,atque inter se apte copulentur, sine qua vnione & continuitate nulla ratione fieri potest, vt operatio absoluta & perfecta subsequatur, vnitas itaque in partibus quoque dissimilaribus tanquam organum,sine quo non desideratur.

Ex quibus omnibus studiosus quispiam ex mente Galeni tueri poterit omnem morbũ in soluta vnitate,aut ad partes similares,aut dissimilares ꝓprie pertinere, aut vtrisque communem esse; aut alteri per se,alteri per accidens. proprie conuenire; ad partes quidem similares pertinere, si vnitatem in propria significatione & pro continuitate vsurpabimus.quemadmodum accepisse videtur Aue. ad partes vero dissimilares,si capiatur pro contactu, quemadmodum accepisse videtur Argenterius: vtrisque vero partibus communem esse, si vnitas in vtraque significatione capiatur,queãdmodum accepit Gal.in lib. de differ.morb. 11. & 2. de oss. med.25. postremo alteri parti per se; alteri per accidens, prout huius vel illius vnitas non soluitur absque solutione alterius;ita tamen vt ad læsam alterius actionem, alterius quoque actio simul lædatur; vt supra exemplo res tota fuit illustrata.

De compositione. Cap. XXIX.

VLtimo loco erat compositio, quæ quantum necessaria sit, in dies experiuntur illi, qui suo malo quoddam fato in organis ipsis labem aliquam suscipiunt, quo fit vt alij, vel omnibus operationibus,quę ad vniuersum corpus pertinent,omnino destituantur, alii si non omnibus saltem plurimis, sunt qui & ipsas vel imminutas,vel deprauatas edant, quare de compositione non est dubitandum,quin organum sit ad actiones partium obeundas maxime necessarium.

Quæ nihil aliud est,quam nexus plurium partium similarium in vnam formã

virtute

uirtute formatoris gratia perfectæ operationis partium dissimilarium.) quo loco illud est animaduertendum, partes dissimilares & organicas non esse vnius generis; sed alics esse primas; alias secundas, alias tertias, quartas, & quintas, vt exempli gratia in manu musculus est pars prima, digitus secunda; manus tertia, brachium quarta, totum corpus quinta, omnes tamen quæcunque sunt ex partibus similaribus componuntur, sed aliæ proxime & immediate: aliæ mediate & per ipsas primas, quare si partes instrumentales ex similaribus componuntur, ergo cōpositio ipsa erit nexus partium similarium, non ita tamen, quod nexus dissimilarium, excludatur. Dictum præterea fuit (ad vnam formam) quoniam nisi omnes partes in vnam formam conspirarent, non fieret unum instrumentum, non vna cōpositio, sed plura instrumenta, plures compositiones, & sic non una proprietas, sed plures proprietates, ex quibus non una operatio, sed plures operationes contingerent, quæ omnes particulæ nobis formam & materiam in qua describunt. Additum deinde fuit (virtute formatoris) vt causam efficientem haberemus: postremo dictum fuit, gratia perfectæ operationis partium dissimilarium, etenim quamuis compositio ad vtranque ipsarum partium operationem conducat, ad actionem tamen similarium secundario, imperfectè & per accidens, dissimilarium vero secundario quidem, sed per se, & perfecte conducit.

Huiusce compositionis necessitatem proposuit Gale. 2. meth. 6. j. de men. 5. & lib. de differentijs morb. 6. etenim 2. meth. 6. probabat dari duplex morborum genus, alteram quidem partium similarium, nempe intemperiem, alterum dissimilarium nempe compositionem prẹter naturam, at si compositio præter naturam est causa prauæ operationis, ergo compositio secundum naturam est causa bonæ operationis, probabat autem dari duplex morborum genus inde sumpto argumento, quod operationes omnes fiunt à partibus similaribus, quib. reliquę singulorum instrumentorum particulæ vsum præbent, cuius illationis necessitatem non omnes cognouerunt. at nos conclusionem hanc sic inferendam existimamus: partes sunt causæ cuiuscunque operationis: sed partes instrumentales habent suas partes similaribus præcipuas, quibus reliquę subseruiunt, ergo partes instrumentales & ipsæ suam habent operationem, quod si sic est, ergo datur duplex operatio altera quidem partium similarium, altera dissimilarium; si duplex datur operatio, ergo duplex morbus.

At dicet quis si actiones partium instrumentalium fiunt à partibus similaribus ergo compositio non erit organum necessarium ad operationes instrumentorum celebrandas.

Huic dicendum est argumentum, concludere hoc modo, operationes instrumentorum fieri quidem a partibus similaribus, sed non perfectè: quare dicendum est, partes similares per sui temperiem tanquam per causam instrumentalem inchoare quidem operationem totius organi, per sui uero compositionem tanquam per causam instrumentalem eādem operationem perfectam & absolutā reddere, confirmabat Gale. eandem sententiam 1. de tuen. sanit. 6. vbi dicebat optimam illam esse corporis constitutionem, quæ optimo constat temperamento, & quæ figuram partium egregiè ad functionem habet comparatam, nec nō quæ omnem tum numerum, tum magnitudinem, tum omnium earum inter se cōtextum ad actiones idoneum exhibet, & multo clarius cap. quinto, eiusdem libri, vbi ad-

monet

monet posituram, formam, numerum & magnitudinem esse causam actionum instrumentalium.

Sed hoc loco quispiã dubitabit ductus auth. Gale. 6. de lo. aff. vlti. vbi dicebat actiones non ex positu, sed ex propria partium essentia prouenire, positura itaque non videtur causa operationis, ergo neque compositio.

Cui dubitationi facile satisfacere licet, si dicamus Galenum non spectasse positionem, ex quo totius membri compositio construitur; sed situm totius membri, quemadmodum nobis significare videtur ibidem Gale. cum illius propositionis causam reddit. Nam inquit Galen. si cor in aliqua parte ponetetur, nihilominus actionem suam obineret, quod idem de corde & liene dicendum est; at si positio partium, ex quibus cor, aut iecur, aut lien, aut quęlibet alia pars constat, mutaretur, actionẽ illius partis vitiari esset necessarium; Compositio itaque organum est necessarium, & præcipuum perfectæ & absolutæ operationis partium instrumentalium.

Hæc sunt omnia instrumenta, quibus natura ad actiones obeundas, vtitur, quorum tamen quattuor vere instrumenta dicuntur, quoniam ad constitutionem partes pertinent; reliqua vero, nempe spiritus, inter quos calor natiuus enumeratur, impropriè instrumenta dicuntur, cum ad constitutionem partis pertineant; quare exteriora potius nominari debent, quoniam extra constitutionem partis existunt, quemadmodum & alia omnia, quę sint extra partium constitutionem, ad actionem tamẽ celebrandam plurimum conducunt, quæ si quandoque inter instrumenta, vel à Galeno, uel ab alijs enumerantur, non ob aliam sanè causam fieri solet, nisi quia uel proprie instrumenta adiuuant, ut calor insitus, & proportio, quæ ex quattuor elementorum commixtione consurgit; uel facultatem custodi una ut spiritus; uel sine his actio celebrari non potest, quemadmodũ cibaria, sine quibus concoctio fieri non potest.

De methodo Anatomica, qua partes inuestigantur, quæ cuilibet organo famulantur. Cap. XXX.

PRoposita itaque operationis natura, ijsque propositis instrumentis, quæ ad operationem plurimum conducunt, inter quæ duo principem locum obtinẽt, temperatura nempe, & compositio, a qua tamen non excluditur unitas, superest, ut anatomicus uniuscuiusque instrumenti operationem cognoscat: ad quam celebrandam, cum multæ partes conducunt, atque non omnes vno & eodem modo conferre uideantur, inueniẽda erit methodus, qua unicuique facile liceat omnes partes organo famulantes inuestigare, quę quidem methodus cum sit capienda ab his, quæ partibus accidunt, hoc est uel ex temperatura, uel quæ temperaturam consequuntur, uel quæ necessario accidunt non solum organis; uerum etiam partibus similaribus, ob id uidendum est à quonam ex his methodus hæc sit capienda.

Nõ à temperatura quidem partium methodus hęc efformari potest; neque ab his, quæ temperaturam consequuntur: quando hæc & illa solis partibus similaribus conueniant, quare necessario methodus hæc comparari debet ex his, quæ necessario accidunt non solum organis; uerum etiam partibus ipsis similaribus, non

tamen

tamen vt similares sunt, sed vt instrumentorum partes, hoc est vel ex magnitudine partium, vel numero, vel figura, vel positione, non ex magnitudine quidem desumi posse, satis constat: quando quidem, si dicamus partes, alias magnas, alias paruas esse; cum plures sint magnæ, plures paruæ, illarum discrimen non erit facile adinuenire: neque ex numero, quoniam differentiæ numeri sunt vnum, vel plura: neque ex figura, quoniam cum figurarum differẽtiæ sint, vt vel rectæ, vel obliquæ dicantur, & harum aliæ triangulares, aliæ quadrangulares, vel alterius generis, cum plures possint eandem habere figuram, harum omnium discrimen, & numerus non manifestè constabit.

Superest itaque, vt cum Gal. in libello de dissectione vulgus. & 2. prognost. j. methodum hanc capiamus ex illarum partium positione, etenim positio partium illarum omnium discrimen & numerum facile docebit.

Sed illud 1. cum Gal. plerisque in locis, & præsertim j. de vsu p. 8. & 9. statuendum est in vnoquoque instrumento, duo partium genera reperiri, alterum quidẽ præcipuum, & principale, quod est causa operationis, alterum illarum partiũ, quæ principali famulantur; partem principalem dicebat Galenus locis nuperrime citatis, esse illam, cui nulla similis in alio instrumento reperiri licet, cuiusmodi est crystalinus in oculo caro cordis, iocinoris, pulmonum in suo viscero hanc partem duplicem statuit Clarissimus prçcepor meus quarum alteram passiuam, actiuam alteram nominauit, partem principalem passiuam dicebat esse veluti lingula in larynge quam græci γλωττίδα vocant, etenim Galenus 7. de vsu p. 11. & 13. hanc dicebat esse partem, cuius substantiæ proprietas eiusmodi est, vt nihil eorum, quæ in toto sunt corpore, sibi simile existat. & ob id esse primum, & principalissimũ vocis instrumentum, quod cum ita sit, & pars passiua statuatur a viro Clarissimo procul dubio duplex erit pars principalis instrumentorum actiua, nempe & passiua: verum ne Gelenus mancus, ac diminutus videretur, dicebat vir Clarissimus Galenum hac præcipuam partem passiuam ex industria prætermisisse, quia propositũ illius fuit partem actiuam principalem tantum proponere.

Eandem sententiam nos quoque confirmare possumus ex authoritate Gal. in lib. de dissect. instrumentorum vocalium c. 2. vbi admonet Gale. quæcunque sunt, vel fiunt in corpore humano, ab his tribus fieri, ab artifice, instrumentis, & materia, atque in voce efformanda artificem esse facultatem animalem, instrumẽta musculos, materiam aerem per cussum, quod si sic est, ergo causa efficiens non erit ipsa glottis, seu lingula, & sic non erit pars principalis actiua, sed passiua.

Subtilis quidem & admodum exquisita fuit Clarissimi viri consideratio, & Galeni authoritas difficilis admodum videtur: nihilominus, si licet dicere, quod sentio, termini ac distinctiones mihi videntur multiplicari sine necessitate, quandoquidem idem de voce, quod de sono dicendum est: etenim cum Arist. in 2. de anima causam soni efficientem proponat, & cum eo Simplicius, inquit causam efficientem esse corpora solida, vel solidorum rationem habentia inter se vi quadam congredientia, passum vero aerem: etenim cum corpora illa inter se concutiuntur, ita vt aerem conglobare, & ita coaceruare, ac vnire possint, vt tandem vi quadam ab illorum compressione elidatur, tunc aer in ea elisione, ac impulsu tanquam percussorum manus auffugiens ueluti conqueritnr, & communicando huiusmodi querellas proximiori aeri totum aerem replet,

& afficit; at si corpora illa solida in sono excitando vim causæ efficientis habere dicuntur, cum vox sit sonus, spiritus a thorace vi quadam effusus vna cum lingula seu corpore rimulam efficiente vim habebunt causæ efficientis, spiritus vero inter lingulam & aerem impetuosum interceptus erit materia vocis, qui dũ per rimulam erumpit sono, ac voce informatur, nec authoritas Galeni huic opinioni aduersari videtur, quoniam etsi Galenus dicat facultatẽ animalem esse causam efficientem vocis, non negaret tamen vnius effectus plura quandoque agentia esse posse, inter quæ tamen vnum erit primum mouens, reliqua vero & mouẽtia & mota sunt dicenda, si inter se comparentur, neq; inconueniens erit, si dicamus quæcunq; inter primũ mouens, & effectũ interiacent, & agentia, & instra nominari posse ad aliud & ad aliud relata, inter quæ vnum erit proximũ & immediatũ agens, reliqua vero mediata: quare mirũ non est, si Galenus dixerit, facultatem animalem esse artificem, & propterea causam efficientem, musculos vero instrumenta, per quæ, cum tamen facultas animalis & causa efficiens, & instrumentum dici possit, etenim si de facultate animali, quæ communis est, loquamur, hæc primum agens, & solum artifex nominari potest, quod si de facultate animali determinata, siue appropriata sermo habeatur, hæc vim habebit instrumenti, si ea ratione consideretur, vt per hanc facultas cõis ad opus descendit, quod vt desideratur, & ipsa quidem agit per musculos vim habebit causæ efficientis, musculi vero instrorum: rursus si musculi considerentur, vt mouent laryngem, & propterea glottida, seu rimulam illam vim habebunt agẽtis, rimula vero, siue corpus illud rimulam efficiens instrumenti: si deniq; consideratur corpus illud, seu glottis, vt ab ea & aere vi a thorace effuso vox informatur, vim habebit agentis, aer passi, vox tandem effectus, qui proxime ab huiusmodi agente prodit, Galenus itaque in proponenda methodo anatomica non fuit mancus, neque diminutus, neque necessarium est introducere aliam particulam principalem alicuius instrumenti præterquam actiuam, neque Gal. li. illo de disect. inst. vocalium cap. 2. huic opinioni aduersatur, quoniam ibi Gal. de primo agente loquitur, nos vero de proximo.

Postremo hæc duo inter se pugnare videntur, lingulam esse causam operationis & esse causam passiuam, vel esse primum & principalissimum instrumẽtum vocis, & esse instrumentum passiuum, cum apud Galenum, & Aristotelem sola causa materialis rationem passi habere videatur: doctissimi tamen anatomici cogitabũt. sat fuit nobis difficultatem proposuisse.

Vt vero in vnoquoque instrumento partem hanc principalem inueniamus, ad proprietatem substantię partium, quæ instrumentum illud complent, confugiendum est, atque inter partes illas pręcipuam illam, & causam operationis esse iudicabimus, quę proprietatem substantię habebit diuersam a quacunque alia cuiusliber partis proprietate, quam proprietatem nobis describit concursus, seu syndromen quædam accidentium, quæ quauis corporis parte non licet reperire, & hæc certam quandam eiusdem partis temperiem nobis significant, per quam particula illa ad actionem maxime confert.

Ad partes vero, quæ parti principali alicuius instrumenti famulantur, perquirẽdas illarum positio plurimum confert, quare progrediendum est hoc modo, ut dicamus cum Gal. loco superius citato, alias esse partes, quę principalem hanc, vel cõtangunt, vel non contangunt, sed proxime sunt: quæ contangunt, vel adiacent, uel

adne-

adnectuntur, rursus partes, quę adnectuntur, duum sunt generum, vel enim ita adnectuntur, vt non coalescant, quæ absque inciosione, sed sola manuum, vel retusi nouaculæ opera separari possunt, vel ita vniuntur, & calescunt, vt absque sectione nullo modo separari possint: rursus inter partes maxime vnitas, & coniunctas; aliæ sunt, quę in sola extremitate committuntur, aliæ vero, quæ inter intexuntur, & hæ sunt omnes partes, quæ ad cuiuscunque instrumēti perfectam cōstructionem desiderari possunt.

Proposita itaque totius instrumenti actione, inuenta parte principali, enumeratis omnibus ijs, quæ parti principali subseruiunt, tunc debet Anatomicus ostendere qua ratione pars quælibet vtilis est ad operationem illius instrumenti celebrandam, & a parte principali, primo est exordiendum, si de aliquo instrumento primi ordinis & minime omnium compositi sermo futurus sit: at si sermo haberetur de instrumento quarti vel quinti, vel alterius ordinis, & ob id maxime compositi, cuiusmodi est pes manus, abdomen thorax, caput, & uniuersum corpus, tunc sectioni ostensioni, seu αὐτοψίᾳ Anatomici oratio est accommodanda: hic enim non est ordo necessarius, sed ex administrationis commoditate & faciliori doctrina totus pendere debet. At si sermo habeatur de aliquo instrumento, vt diximus primi ordinis, & præcipua pars sit contemplanda, in hac consideranda erit temperatura, & quæ temperaturam consequuntur, & quæ necessario accidunt: quid sit temperatura iam dictum est: quæ vero temperaturam sequuntur sunt omnes qualitates tangibiles, nec non quæ ad gustum, odoratum & visum pertinent: quemadmodum scriptum nobis reliquit Gal. 1. de fac. naturalibus 6. Cæterum tangibiles qualitates sunt veluti durities & mollities; lentitia & friabilitas: grauitas & leuitas: densitas & raritas: asperitas & lenitas; crassitudo & tenuitas: gustabiles vero austeritas, acerbitas, nitrositas, salsedo, amaritudo, acredo, ariditas, & dulcedo: at quæ ad odoratum pertinent, sunt, quæ bonum & malum odorem redolent: visibiles tandem sunt omnes differentiæ coloris, a quibus non excluditur diaphaneitas, seu perspicuitas. Postremo quæ necessario accidunt sunt magnitudo, numerus, conformatio, & situs.

Sed hoc loco quispiam nō immerito dubitare posset, cur factum sit, vt Gal. inter ea quæ consequuntur temperaturam enumerarit raritatem, ac densitatem, asperitatem & lenitatem, quæ ad conformationem pertinent, & sic ad ea, quæ necessario accidunt, quod vero ad conformationem pertineant, patet ex hoc, quoniam conformatio complectitur superficiem, figuram, cauitates, & meatus: sed gratia meatuum pars dicitur uel densa, vel rara, merito superficiei aspera, vel lenis merito figuræ crassa vel tenuis, labra namque crassa fiunt, & aures extenuatæ videntur his, qui elephantiasim patiuntur raritas itaque & dēsitas; asperietas & lenitas crassitudo & tenuitas ad conformationem pertinent.

Huic dubitationi miro quodam artificio satisfecit Clarissimus p̄ceptor meus dum publice anathomicam methodū profiteretur: duo namque genera eorum, quæ temperaturam consequuntur statuit; aliud quidem eorum, quæ solum inter consequentia numerantur, cuiusmodi est durities, mollities colores, odores & sapores; aliud uero eorum, quæ inter consequetia, & quæ necessario accidunt, numerari possunt, cuiusmodi est raritas & densitas; asperitas & lenitas, crassitudo & tenuitas: Verū ut cognoscamus qua ratione inter consequentia, & qua inter necessa-

tio contingentia numerantur, supponendum est, cum Gal. 1.illo.de fac naturalib. 6.uirtutem generatricem per duplicem facultatem agere, hoc est per alteratricem & formatricem; si per alteratricem agit, tunc ea ratione, qua tribuit ei, quod generatur, temperiem, eadem quoque tribuit, quæ temperiem tantum consequuntur ueluti est durities, mollities, & quæ his cognata sunt: at si per facultatem formatricem operatur, cum virtus formatrix tanquam instrumento utatur temperatura ad efficiendam partem raram densam; asperam lenem: crassam & tenuem, dicendum est, accidentia hæc ad instrumentum relata inter consequentia esse numeráda: quod si hæc eadem ad principale agens, hoc est ad facultatem formatricem referantur, tunc inter ea, quæ necessario accidunt, numerari debere; hæc ille; qua ut artificiosa sunt; ita scrupulum iunioribus mouere possent: etenim si ob eam causam raritas, & densitas, & alia id genus dicerentur consequi temperiem, quia facultas formatrix in his operibus fabricandis temperatura tanquam instrumento uteretur, idem dicendum esset de magnitudine, numero, figura & positione, quando pars aliqua ut congruentem habeat magnitudinem, numerum, situm & conformationem alteratio materię ut pręcedat, oportet ut uoluit Gal. 1.de fac. naturalibus 5. quare si formatrix facultas ad hæc peragenda indiget alteratrice, & hæc tẽperatura tanquam instrumento, ergo magnitudo, numerus, situs & conformatio ea ratione, qua fiunt a formatrice uirtute alteratricis, inter consequẽtia, & ipsa erunt enumeráda, ut uero a formatrice, inter ea, quæ necessario accidũt.

Quare pro solutione difficultatis prius uidẽdum est, cur dixerit Gal. 3. de usu p. 9. accidentia quædam consequi, quædam accidere, his namque explicatis non erit difficile meo quidem iudicio propositæ difficultati satisfacere. Existimamus itaque nos Galenum non ob aliam causam dixisse quædam accidentia tempraturam consequi: nisi quia accidentia hæc ab ipsa temperatura fluunt & emanant ab ipsa, quemadmodum etiam solemus dicere accidentia insequi formam, quæ proxime manant ab ipsa, unde dici solet, quantum agens dat de forma, tantum dat de consequentibus formam, quod si dixisset Galenus eiusmodi accidentia accidere temperaturæ, tunc accidens accidenti accideret, quod est absurdum, quemadmodum etiam absurdum esset, si diceremus accidentia formæ accidere, quoniam tunc accidens simplici substantiæ accideret, cum tamen accidentia determinata & absoluta non aduenian nisi enti in actu; quod uero dixerit Gale. magnitudinem, numerum, conformationem & positionem necessario accidere totis organis, & eorum particulis, merito factum fuisse arbitror, quoniam accidentia substantiæ compositæ necessario accidunt; in partibus quidem similaribus, ut substantiæ sunt perfectæ & absolutæ, & ex his dissimilares componuntur necessario adest magnitudo conformatio, & positio, numerus namque desideratur cum singulares & simplices existant. at in organicis omnia necessario adsunt.

His propositis & declaratis dicendum est, accidentia, hæc nempe asperitatem, lenitatem: raritatem, densitatem, crassitudinem, ac tenuitatem inter ea, quæ consequuntur proprie numerari debere, si spectemus temperaturam, a qua proxime fluunt & emanant ut uoluit Arist. & cum eo Aue. 7. phy. com. 15. & 2. de partib. animal. 3. at si eadem consideremus, ut sunt opera formatricis facultatis, proculdubio inter ea, quæ necessario accidunt, numerari possunt: at magnitudo, numerus situs, & conformatio, cum non sint accidentia, quæ proxime fluant à temperatura, sed

ra, ſed ſubſtantiæ iam perfectæ adueniant, nullo modo inter conſequentia tem peraturam ſunt numeranda, ſed neceſſario accidentia ſunt dicenda.

At rurſus quiſpiam ſic inſtare poſſet, temperatura,& compoſitio omnium partium tum ſimilarium, tum disſimilarium eſſentiam conſtituunt,ut teſtatum nobis reliquit Gale. in lib.art.med.cap. 8. At quæ alicuius ſubſtantiæ eſſentiam complent, illius accidentia eſſe non poſſunt temperatura itaque & compoſitio non erunt accidentia: quare neque magnitudo, neque figura, neque poſitio inter ea,quæ neceſſario accidunt,erunt numeranda,ut uoluit Gal.j.de uſu p.9.

Contradictionem hanc ſic ſoluendam cenſeo,quomodo uero ſoluant alij, uiri doctisſimi iudicabunt:Cum inquit Gale.in lib.art.med.8.ſigna ſumenda eſſe ab ijs, quæ ſecundum eſſentię rationem inſunt,& ab operationibus, quæ ex necesſitate conſequuntur, & ab accidentibus ipſis,& per eſſentiã intelligat in partibus ſimilaribus temperiem, in disſimilaribus compoſitionem, ſic Galenum intelligendum arbitror,vt per temperiem nobis circunſcribat facultatem alteratricem determinatam, per compoſitionem formatricem, quæ facultates proprie partium eſſentiam conſtituunt, & ſic in arte medicinali improprie, ac medice fuiſſe locutũ, quandoquidem medici,& præſertim Gale.& Hipp.inſtrumenta pro facultatibus, quam ſæpiſſime vſurpare conſueuerunt,quod enim proprium eſt facultatum,inſtrumentis ipſis tribuere ſolent: in j.vero de vſu par.9.cum magnitudinem, numerum, figuram & poſitionem inter ea, quæ neceſſario accidunt,collocarit Gale. proprie locutum fuiſſe cenſeo, ſiquidem homines hi doctiſſimi quam ſæpiſſime nominibus abuſi fuerunt, & exquiſitam illam loquendi rationem neglexerunt.

Cum itaque in parte principali temperatura, quæ temperaturam conſequuntur,& quæ neceſſario accidunt,conſiderari poſſint,videndum eſt,qua ratione pars principalis ad operationem conducat, quandoquidem magna ex parte dicebat Gal. j. illo de vſu p. 9. inuenies partem principalem conferre per propriam ſubſtantiam,hoc eſt per ſui determinatam temperiem, aliquando etiam per aliquod ex conſequentibus, quemadmodum cryſtalinus ad viſionem conducit, nedũ per ſui temperiem, verum etiam per ſui diaphaneitatem, quam improprie colorem vocauit Galen.loco citato, quandoque etiam pars principalis per duritiem,& ſoliditatem conducit veluti glottis, ſeu lingula in larynge, quæ per huiuſmodi ſoliditatem utilis eſt ad uocem efformandam:quod ſi per ea,quæ neceſſario accidũt partes principales ad actionem conducunt, non ſimpliciter ad actionem, ſed ad meliorem actionem celebrandam conferunt,veluti cryſtalinus per ſui conformationem, & magnitudinem, & ſitum ad viſionem meliorem efficiendam vtilis eſt, idem quoque de lingula, & alijs omnibus præcipuis partibus cuiuſcunque inſtrumenti dicendum eſt.

His omnibus conſideratis, quæ ad partem principalem pertinent: tunc accedendum eſt ad partes huic principali ſubſeruientes, & primo de ſimilaribus ijs, quæ intertexuntur ſermo eſt habendus,mox de ijs, quæ in ſola extremitate committuntur; atque in his omnibus conſideranda erit temperatura, quę conſequũtur, quæ neceſſario accidunt, & operatio; omitto autem ſubſtantiam, quoniam ſermo eſt,cum Galeno de partibus viuentibus, & quæ ſubiectum morbi eſſe poſſunt, cuiuſmodi non eſt humor vitreus, qui etſi famuletur cryſtalino

per ſui

per ſui ſubſtantiam,cum illius alimentum exiſtat, quia tamen non viuit à præſen ti ſpeculatione excluditur; ſic enim proximum alimentum, ſic inſitus calor & alia id genus, quæ ad actionem conducunt partes inſtrumenti dicerentur. Quoniam vero diximus in his partibus, quæ famulentur conſiderandam eſſe tempera turam,vos admonitos eſſe velim in his partibus temperaturam non eo modo eſſe conſiderandam,quo in præcipuis partibus, quoniam partes præcipuæ per certam quandam temperiem, cuius gradus nobis ignotus eſt, ſunt cauſæ operationis; quæ vero partibus principalibus inſeruiunt,nõ certa quadam temperie famulantur, cuius gradus nobis ſi ignotus;ſed ea tempearatura,quæ ad tutellam præripuæ partis vtilis exiſtit, quemadmodum docuit Gal.1.de vſu p.13.ex mente Platonis, dicebat namque Plato carnem eſſe veluti propugnaculum, ac tegmen aduerſus æſtum, aduerſum frigora calidam namque humiditatem in ſeipſam habet, vt æſtate quidem refudãs & humectans extrinſecus refrigerium toti corpori proprium, familiareque effundat,hyeme vero contra ipſius calore extrinſecus illatam, & circundantem nos frigiditatem moderate arceat, quam Platonis ſententiam balnei exemplo illuſtrauit:etenim balneum cum natura humidum ſit, & moderatè calidum humiditate quidem natam ex caliditate ſiccitatem irrigat; caliditate vero ortam ex gelu frigiditatem perſanat: quare partes hæ ſeruiles ad tuendam partẽ principalem conducunt per quandam ſui temperiem moderatam,quæ non eſt pe culiaris partibus ipſis, ſed in alijs quoque reperiri poteſt. Quo vero ad conſequẽ tia in his durities, mollities,raritas, denſitas : leuitas,grauitas : aſperitas, lenitas: craſſitudo,tenuitas:& colores locum habere videntur:nam odores,& ſapores nul la ratione conferre videntur. De his vero, quæ neceſſario accidunt non eſt dubitandum,quoniam cum ſint partes, quæ totum inſtrumentum complent, neceſſe eſt,ut in his,& magnitudo,& numerus,conformatio,& ſitus ſpectentur:per hæ enim huiuſmodi partes maximã parti principali vtilitatẽ præſtare ſolent, his adde operationem, quoniam partes ſimilares per ſui attractionem,retentionem, alterationem,& expulſionem parti principali plurimum prodeſſe poſſunt,partes namque ventriculi ſimilares,quæ parti principali famulantur,nonne ſuis actionibus parti principali ad chilificationem celebrandam maxime conducunt? eodem modo motus arteriarum cordis nonne in generatione calidi innati cordis maximam vtilitatem parti principali præſtare poteſt, & hoc eſt,quod docuit Gale.j.de vſup. 9.vbi propoſita vtilitate partis principallis per temperiẽ,& per ea quæ conſequun tur,ſubdebat deinde aliarum particularum,quæ ſubſeruiunt,vtilitas eſt perquiren da,an ſcilicet propter actionem ſint vtiles,an propter aliud eorum,quæ conſequũ tur,vt os propter duritiem.

Quo vero ad partes inſtrumentales,quæ alteri præcipuo inſtrumento,& ſic par ti principali illius inſtrumenti ſubſeruiunt;in his compoſitio,& operatio, ſiue vſus,ſi operationem non habent, ſunt conſideranda,quæ omnes partes tum ſimilares,tum diſſimilares non vno & eodem modo conferre uidentur, ſiquidem aliæ à natura progenitæ ſunt:quoniam pars principalis ſine his nequaquam agere potuiſſet:aliæ uero,ut operatio melius ſuccederet:aliȩ ad horum omnium conſeruationem,cuius numeri neceſſitas fuit hæc,quoniam partes omnes à natura factæ ſunt propter operationem; at operatio una ab una parte primo, & per ſe prodire manifeſtum eſt, hæc itaque pars, à qua prima prodit operatio fuit neceſſaria, &

principalis

principalis nominatur: Verum quia pars hæc principalis: cum sit similaris, operationem instrumentalem inchoare quidem per se; at ex toto perficere absque aliarum adminiculo nequaquam potest, quare necessariæ fuerũt aliæ partes, quę huic principali maxime inseruirent, & quia quęcunque alicui famulantur, vel ita famulantur, ut absque illorum opera nihil fieri possit: vel quia ad actionem illius perfectionis aliquid conferunt: ob id, si quæ famulantur eius sunt generis, vt sine illorũ auxilio pars principalis agere nequeat dicuntur partes sine quibus non: At si perfactionis aliquid conferunt, perfectio illa vel actionem præstantiorem reddit, vel eam custodit, ac tuetur, patet itaque necessitas harum omnium partium, quæ nec plures, nec pauciores esse potuerunt, nec debuerunt, quo loco animaduertendum est & plures posse eandem habere vtilitatem, & vnam posse plures habere vtilitates. & hæc de præludijs anatomicis dicta sint.

FINIS.

REGISTRVM.

† †† A B C D E F G H I K L M N O P.

Omnes sunt duernionem.

EXERCITATIO METHODI ANATOMICAE A MEDICO CONSIDERATAE.

NEMINI mirum eſſe debet, ſi poſtquam ſcribendi finem fecimus, exercitatio quædam methodi anatomicæ iniuncta fuerit, quoniam præterquàm quod ad methodum hanc iluſtrandam plurimum conferre poſſe putabamus; acceſsit etiam deſiderium colligendæ ab ijs beneuolentiæ, quorum authoritas apud me tanta eſt, vt nullis terminis aut legibus definiri velim: Ad id quoque me vocat occaſio tum mei expurgādi, tum ſcripta noſtra ab iniuſta & perniciosa ſapientiſsimi viri ſententia vindicandi, qui cum in ſcholis Patauinis artem medicam publice profiteretur, & in ſubſellio tanquàm pro tribunali ſederet animi quodam impetu potius quàm ſapientia & ratione ductus ea vt videre videor indicta cauſa condemnauit: quo iure, quaue iniuria id factum ſit quæſo attendite.

Dolet vir Clariſsimus quòd in præludijs noſtris lubricam & puerilem opinionem illorum eſſe dixerim, qui exiſtimarunt ratiocinationem eſſe propriam totius humani corporis operationem ea ratione, qua eſt inſtrumentum quoddam maxime omnium compoſitum & anatomicæ diſciplinæ à medico conſideratæ ſubiectum: quoniam ſibi perſuadet id factum fuiſſe, vt authoritati ſuæ aliquid detraheretur; cum tamen opinionem hanc ferè communem ab eo ſuſtineri prorſus ignorarem, & in ſcribendis noſtris non huius vel illius opinionem euertendam mihi propoſuerim; ſed ea protuli non ob aliam ſane cauſam, niſi vt tantam opinionem tam penitus inſitam, tam vetuſtam ex animis medicorum eruerem excuteremque.

Sed his omiſsis, quæ nihil ad rem: videamus quæſo nunquid noſtra iuſte damnarit, & ſuam quam profitetur opinionem rectè tueatur & ſuſtineat.

Controuerſia eſt vt video de ratione formali ſubiecti anatomicæ facultatis ad artem medicam pertinentis, qua in re vir ſapientiſsimus cum noſtra curſim & ſaltibus percurreret oblitus admonitionis bibliopolæ, multaq; ſibi fortaſſe noua & contra communem opinionem ſcripta videret, in legendo minime patiens exiſtimauit nos tueri rationem formalem ſubiecti anatomicæ ſpeculationis eſſe motum localem, quod profecto nedum cogitauimus vnquàm, verum nec ſomniauimus certè; quemadmo-

dum vnusquisque in legendis præludijs nostris facile cognoscere potest.

Aliud quoque nobis attribuit, quod manifeste illius maximam in legendis nostris negligentiam declarat. Credidit enim vir ille doctissimus nos velle omnes corporis actiones in vnum motum localem esse referendas; quod vtrum verum sit nec ne vosmet iudicabitis, vt in his, quę iam scripta sunt repetendis, turpe sit diutius immorari.

Subiungit quoque nos perperam Galeni mentem assecutos esse 3. de vsu p. vbi dum proponit duas hominis figuras, nempe stare & sedere; inquit vir Clarissimus eam non fuisse Galeni sententiam, vt vtraque figura ijs inseruiret artibus, quæ manibus tractantur, quemadmodum nos statuisse videmur, sed vt, quæ sedendo fit, ad contemplationem pertineret, quoniam anima (vt ait ille) sedendo fit prudens: qua in re non possum certe non valde mirari tantam doctissimi viri negligentiam in Galeni authoritatibus ponderandis: quare cum nemo sit, dummodo primoribus labris latina degustarit, qui in legendis Galeni verbis, huiusce rei veritatem non agnoscat, non est, vt in illa authoritate declaranda tempus frustra conteramus.

Cum itaque nobis ea tribuerit vir sapientissimus, quæ nunquàm somniauimus, eaq; damnarit quæ non erant damnanda, satis constat quàm iniuste scripta nostra reprobarit.

Superest itaque vt videamus rectè an secus opinionem suam tueatur. Vtitur autem hoc initio & veluti firmissimo sententiæ suæ fundamento omnes actiones humani corporis vt est subiectum anatomicum medicó dedicatum in vnam rationem conspirare, quatenus est ars ante artes, & sic manuum, pedum, cordis, iecinoris & aliarum huiusmodi partium actiones huic vni famulari & inseruire, quibus positis concludit rationem esse propriam totius corporis actionem.

Ego certe, vt ingenue dicam, quod sentio, nunquàm obseruaui hoc argumentandi genus: primum quidem accepit quod probandum erat: deinde rationes nostras, quibus hoc assumptum iam redarguimus neq; infringit aut infirmat.

Præterea facultatem cum operatione confundit: etenim Galenus per rationem intelligit facultatem, hic vero per rationem intelligit operationem.

Adde, si ratio esset propria totius corporis operatio, sequeretur vt cerebrum esset illius primarium instrumentum, non autem manus, vt asserit ille authoritate tum Aristotelis, tum Galeni ductus.

Accedit & aliud in commodum, quoniam si ratio esset propria totius corporis operatio, cui cæterarum partium actiones inseruirent, sequeretur omnem morbum partium instrumentalium ad cerebrum pertinere, & sic omnis morbus instrumentalis esset morbus cerebri; multa quoque alia in commoda sequerentur, quare in hac opinione tutanda veluti dormire videtur: vel potius animo perturbato fulgurare, tonare & omnia simul miscere ac perturbare.

Quod

Quòd si quieto & placato animo res nostras maiori cum diligentia examinare voluerit, vt inde veritas magis elucescat, is velim intelligat nihil gratius, nihil optatius nobis contingere posse: immo ad communem omnium studiosorum vtilitatem pollicemur, vt quod tempus & spatium ad scribendum sibi lege perscripserit, eodem quoq; nos pro viribus ad singula responsuros.

Verum ad id redeamus, cuius causa, potissimum instituta fuit oratio; & cum plura sint instrumenta, in quibus artificium hoc exerceri posse videtur, nullum tamen accommodatius esse iudicauimus quàm illud, quod omnium esset maximum, maximeq; compositum, cuiusmodi est vniuersum corpus hnmanum, cuius operationem propriam diximus esse motum voluntarium artificiosum, cuius causa omnia, quæcunq; sunt in hoc microcosmo instrumenta fuere procreata, inter quæ potissimum & præcipuum instrumentum est manus, vt voluit Galenus primo de vsu p. 4. quæ & ipsa cum sit instrumentum ex alijs instrumentis compositum, inter hæc musculus primum locum obtinet: at inter partes similares musculum constituentes, siquis quærat, quænam sit pars præcipua, per quam musculus actionem suam edat, non erit difficile iudicare si verba Galeni spectemus primo de vsu p.9. & primo de fract. 12. primo namq; de vsu p.9. cũ doceret methodum, qua in disquirendis partium vtilitatibus progrediendum est, dicebat in primis quærendum est, per quod instrumentum actionem nactum fuerit: quoniam magna ex parte per propriam substantiam inuenies; sed propria substantia musculi est caro, vt placuit Galeno primo de fract. 12. & lib. de multitud. 5. caro itaque pars erit præcipua, per quam musculus mouetur.

Addebat Vessalius lib. 2. cap. 2. carnem musculi ex eo præcipuam esse illius partem confirmari posse, quò in cæteris omnibus instrumentis carnem esse præcipuam partem videmus, cui actio instrumenti debetur. Nos vero hoc idem confirmare possumus ex mente Galeni 2. de temp. 3. vbi redarguit Erasistratum, qui carnem cuiuscunque visceris parenchyma nuncupabat, quasi pro re parua & leui haberet. parum intelligens inquit Galenus cuiusque uisceris actionem huic carni acceptum referre debere. at si carni viscerum quæ improprie caro nominatur actio illorum est attribuenda, ergo multo magis carni musculorum, quæ proprie caro nominatur.

Alteram quoque rationem nec minus probabilem afferre possumus, quę à simili deducitur, etenim sicut neruus non sentit, sed participatio nerui ex Gal. 7. de pla. 6. ita quoque neruus non mouet; sed participatio nerui.

Confirmatur hæc similitudo authoritate Gale. 7. de pla. 7. vbi admonet omnia membra sensum & motum comparare neruis ad sensuum instrumenta pertingentibus: alijs quidem ut sensibilia discernantur: alijs vero, vt quæ mouenda sunt motum accipiant, si sic est, ergo nerui non mouent, sed neruorum participatio.

Adde neruos esse similes calamis: membra vero ramis; & sicut rami to-

ta virtute calamorum in ſe ſuſcepta producunt fructus, quales producuntur ab arbore, vnde calami exciſi ſunt;ita caro muſculorum vi neruorum tota in ſe recepta fit habilis non ſolum ad ea quæ ipſam tangunt ſentienda, verum etiam ad motum voluntarium ciendum, docuit hoc Galenus loco nuperrime citato.

Prætetea nulla eſt pars in corpore humano, quæ carni muſculorum ſimilis exiſtat,eſt itaque præcipua pars muſculorum.

Nec obſtat quod Gal.1.de fract.12.dicat proprium corpus muſculi eſſe genus fibroſum,quoniam per corpus inſtrumenti Gal.ibidem non intelligit propriam ſubſtantiam, alioquin ſibimet in eodem loco contradiceret; ſed per proprium corpus inſtrumenti id intelligit,quod totam inſtrumenti figuram corpoream repreſentat, cuiuſmodi eſt genus fibroſum in muſculis, & venoſum in iecinore; etenim ſi iecur & muſculos in aqua diu maceraueris ita vt caro marceſcat,eaque illęſis & fibris muſculorum & venis iecinoris retuſo quodam cultello vel ex ferro vel ex ligno parato ab ipſis vtpote durioribus eximatur, quod tibi perbelle ſuccedet, obſeruabis corpus quoddam fibroſum & venoſum totam tum muſculi, tum hepatis corporis figuram repreſentans, quemadmodum in ſcholis Patauinis ob eximiam & accuratam Eccellentiſsimi viri prę̨ceptoris mei diligētiam quàm ſępiſsime tanto totius ſpectaculi plauſu,tanta doctiſsimorum virorum approbatione perſpectum eſt, vt non ſit amplius dubitandum, quin partes omnes, etiam ſi dicas oſſa prius fibris, ſeu veluti fibris contexta fuerint; quibus deinde illa,quæ abſolute vel ſecundum quid caro dicitur tanquàm propria partis ſubſtantia fuerit adnata: quare mirum non eſt, ſi Galenus priorem texturam corpus; carnem vero propriam partis ſubſtantiam nominauerit,quàmuis non me lateat interdum quoque carnem ipſam inſtrumenti corpus nominaſſe.

Nec eſt quod quiſpiam obijciat Galenum primo de vſup.18.ſeiungere apprehenſorium organum a carne: cum dicat abſurdum eſſe apprehenſorium organum inſenſibili tegi particula, & ob id naturam maximam neruorum portionem ad carnes deriuaſſe;quoniam Galenus per apprehenſorium organum non intelligit quid à carne diſtinctum, ſed totam manum, ac ſi dixiſſet abſurdum eſſe totam manum inſenſili tetigi particula, cum manus præterquàm quod eſt organum apprehenſorium,tactus quoq; inſtrumentum erat futura; hæc itaque Galeni authoritas opinionem hanc non euertit.

Neque nos perturbare debet authoritas illa Gale.12.de vſup.3.vbi admonet tendonem eſſe primum motus inſtrumentum, quoniam Galenus per primum motus inſtrumentum noluit ſignificare præcipuam muſculi partem,cum ſubdat muſculum ad conſtituendum tendonem fuiſſe comparatum: ſed per primum inſtrumentum motus intellexit Gal.quod proxime trahit membrum, quod moueri debet,etenim caro ad mouendum duplici vtitur uecte ſeu chorda, in vehementibus quidem motibus, vtpote in quibus oſſa erant mouenda præter fibras tendonem adhibuit:in remiſsio-

ribus

ribus vero solis fibris contenta fuit, veluti ex motibus linguæ, labiorum, cutis, frontis, superciliorum, æsophagi, ceruicis vesicæ, sedis, & aliarum id genus partium.

At multo minus authoritates Gal.1.de vsup.13. & 12.de vsup.3. ab hac sententia nos auocare debent, vbi dum vtilitates carnis musculorum proponit, ne verbum quidem facit de vtilitate, quam nos præcipuam esse statuimus; & ratio est, quoniam Gal.cum cognosceret carnem esse propriam musculorum substantiam, & propterea pręcipuam partem vtilitatem hanc tanquàm manifestam subticuit, easque proposuit, de quibus fortasse quispiam dubitare potuisset: quoniam non uidebatur consentaneum, vt pars præcipua, cui reliquæ famulantur, & ipsa suam sibi seruientibus operam præstaret, & sic muriere dominæ & ancillæ fungeretur. quare Galenus, vt dubitationem hanc tolleret vna cum Platone alias proposuit vtilitates: non est tamen credendum carnem musculorum per idemmet inseruire, per quod dominatur, & est præcipua causa motus: etenim caro ipsa per certam quandam temperiem sibi ipsi peculiarem & proportionem, quę pullulat ex mixtione substantiarum elemētorum redditur apta ad virtutem motiuam suscipiendam: per moderatam verò caliditatem & humiditatem, quæ sibi communis est cum alijs ad æstus & frigora propulsanda: per sui verò substantiam molliorem ad fibras, venas, arterias, & omnes partes principes & nobiliores ab iniurijs vindicandas.

Ingeniosi tamen cogitabunt & præter alia considerabunt authoritatem Gal.1.de motu mus.1.vbi luce clarius opinionē nostrā confirmare videt.

Nec est quod quispiam quærat aliam partem præcipuam musculorum manus, aliam musculorum alterius, artus quoniam non est inconueniens, sicut instrumenta sunt eiusdem generis habere quoque partes præcipuas similares, quæ sibi sint similes, quemadmodum de oculis, de auribus, de renibus ac testibus dicendum est, in quibus pars præcipua vnius instrumenti similis est parti præcipuæ alterius cognati: in his enim, quæ fratrant, seu cognationem habent & specie non differunt, dissimilitudo illa, quam proponit Gal.locum habere non potest: vt propositio illa sit hoc modo intelligenda. Instrumenta illa, quæ nedum numero, verum etiam specie differunt, necesse est, vt partem præcipuam & singularem habeant, quæ sit causa operationis, ita vt in vniuerso corpore non liceat aliam similem repe rire. Caro itaque musculorum sit nobis præcipua causa operationis totius corporis, vt est instrumētum quoddam anatomicæ speculationi subiectum: huic aliæ omnes corporis partes inseruiant, ac famulentur, quarum quæ præcipuam partem non contangunt sunt crura, & nomine crurum complector etiam pedes & coxas, sicut per manum cubitum & humerum, huius quoq; generis est uenter superior, inferior, oculi & organa omnia ad faciem attinentia una cum ijs, quę ad spinam pertinent, ijs accedunt genitalia. Thorax vero & scapulæ nedum contangunt, vt inquit Gal.7.de usup. primo, verum etiam ita adiacent, atque adhærent, vt arctè admodum adnectantur. Instrumenta vero communia veluti sunt nerui, venæ & arte-

riæ,

riæ, & præter hæc offa non adnectuntur folum, verum etiam implicantur, intertexuntur, & partim fubfternuntur; quarum omnium partium aliæ quidem præcipuæ parti famulantur tanquàm ancillæ, fine quibus pars præcipua operari non poteft; aliæ quidem operationem illius præftantiorem reddunt; aliæ fecuritatem præbent; atque vt exordiar ab ijs partibus, quarum caufa operatio melior ac perfectior fieri poteft, inter eas crura numeranda cenfeo, nec non inftrumenta omnia illa, quæ motu voluntario mouentur, veluti eft thorax, collum, oculi, lingua, bucca, larynx, atque id genus alia. etenim cum motus vniuerfi corporis artificiofus multiplex effe pofsit, & illius plures pofsint effe fpecies, hæc omnia inftrumenta per fui operationem ad motum hunc meliorem efficiendum plurimum conferre poffunt. adde inftrumenta tum vitalia, tum naturalia: His proximæ funt partes illæ, fine quibus hic motus celebrari non poteft, cuiufmodi funt illæ, quæ in ventre fuperiori continentur. Etenim fi ftatuamus omnem motum fieri non abfq; facultate animali nedum determinata, verum etiam communi, cuius inftrumentum eft fpiritus animalis, vt in ventriculis cerebri exiftit, & omnem motum artificiofum tanquàm ab arte ante artes à ratione, memoria & imaginatione gubernari ac dirigi, facile conftabit, quo pacto ventris fuperioris partes per fui operationem ad hunc motum artificiofum conducant. Si rurfus ftatuamus cum Galeno fpiritum animalem ex fpiritu vitali & tenuifsima fanguinis parte tanquàm ex materia ex qua generari, & caloris innati cordis generationem effe illius præcipuam operationem, huicq; pulmones materiam præparare, & calorem temperare, conſpicuum quoq; futurum arbitror, quo pacto venter medius per hanc operationem conducat ad huiufmodi motum conferuandum, per operationem vero per fe ad meliorem efficiendum. Præterea fi cognouerimus fpiritum vitalem fieri potifsimum ex puriori parte fanguinis, atque vniuerfum corpus ex fanguine nutriri, qui in hepate generatur, cui operationi fubferuiunt os fupernum, ftomachus, inteftina, mefenterium, renes, lien, vtraq; vefica, peritonæum, mufculi membrana carnofa, pinguendo, cutis & cuticula, non erit difficile iudicare, qua ratione venter inferior, vt eft inftrumentum fanguificationis huic motui feruitium præftat; quare ficut venter fuperior habet rationem caufæ fine qua non, ita quoq; cor, & hepar per operationem per aliud hunc motum conferuant. per operationem vero per fe meliorem operationem reddunt, quid autem per operationem per fe, quid per aliud audiendum fit, docuit Gal. 7. de pla. Hip. 3. Inter has partes organa fenfuum poffunt quoque numerari, non enim eft inconueniens, vt eadē pars pluribus modis inferuire pofsit: at quod fenfus habeant quoq; rationem caufæ fine qua non facile probari poteft; etenim cum ratiocinari, imaginari & memorari ad hunc motum artificiofum maxime pertineant, & nihil fit in intellectu, quod prius non in fenfu, qua ratione fine fenfibus hæc operatio, hic motus fieri potuiffet? Verum vt hic motus diutius & perpetuo conferuaretur, quando in indiuiduo perpetuo conferuari non poteft, neceffe fuit, vt natura partes inftau-

rationi generis inferuientes fabricaret, quare vterum, testes, & penem construxit, vt per quandam sequelam huic vni operationi per suam actionem famularentur, quare inter partes referri possunt, quæ ad tutelam, seu ad cõseruationem pertinent. & hæc dicta sint de his, quæ non contangunt, nec non de his, quæ contangunt, & ita adhærent, vt in extrema parte humeri adnectantur. Nunc vero propius accedendum est, atq; de his sermo habendus est, quæ nedum adnectuntur, verum etiam intertexuntur, qua in re illud in primis est animaduertendum nos per manum cum Galeno 2. de vsu p.2. intelligere, vt supra diximus, instrumentum compositum ex humero seu brachio, cubito, & extrema manu, quæ in carpum, metacarpium, & digitos diuiditur, de quibus omnibus, vt ordine quodam differamus hoc vnum tanquàm manifestum statuendum est, actionem manus esse apprensionem, ad quam perfecte celebrandam conducit tota manus, si figuras, & omnes eas magnitudines, quas mouere homo potest apprehendere debet. Inter partes autem quæ brachium, cubitum, & extremam manum constituunt numerantur ossa, chartilagines, ligamenta, membranæ, tendones, caro, musculi, pinguendo, cutis, & vngues. & quoniam inter partes totam manum constituentes principem locum obtinet extrema manus, atq; inter illius partes digiti, quemadmodum nobis visus est significasse Gal. primo de vsu p.5. ob id de ofsibus digitorum primo loco nobis dicendum est, mox de ofsibus metacarpij, carpi, cubiti & brachij. deinde de alijs singulis partibus ordine quo propositæ sunt, disputabimus, atq; in illarum vtilitate perquirenda ea tantummodo attingemus, quæ proposito nostro facere videbuntur, ijs prætermifsis, quæ in genere de partibus similaribus Anatomico dicenda videntur, antequàm ad ostensionem seu partium inspectionem descendat, & cum tota partium cognitio posita sit in illarum structura & vtilitate, ordinis ratio postulare videtur, vt primo structura, deinde vtilitas singularum partium proponatur: ita tamen, vt, quantum fieri potest, inutilis repetitio deuitetur. quare vt de ofsibus digitorum primo loquamur, in his temperiem, quæ temperiem consequuntur, & quæ necessario accidunt sunt consideranda. Ossa itaq; digitorum sunt temperaturæ frigidæ & siccæ: hanc durities consequitur, atq; huiusmodi conditionem cum cæteris ofsibus communem habent: Numero vero plura virtute formatricis procreata sunt, singuli namq; digiti ex tribus ofsibus compositi sunt; nam etsi primum pollicis os à nonnullis postbrachiali adscribatur, nihilominus quia ab vtraq; parte per diarthrosim connectitur, quod primis digitorum pestbrachialis non accidit, ob id os illud inter ossa digitorum potius quam postbrachialis seu metacarpij recensere placuit. At si horum magnitudinem spectemus, os primum & prælocatum maius esse debet posteriori & post locato. & ratio est, quoniam maius quod baiulat eo quod baiulatur esse oportet. sed os prælocatum vehit postlocatum, ergo maius debet esse postlocato, vt recte monuit Gal. primo de vsu p.14. in valde deinde paruum & rotundum caput desiere digitorum summitates.

Quòd si formam accidentalem contemplemur, hæc considerari potest

vel

vel ſecundum partem externam, vel internam . ſi ſecundum externam vel illorum extremitates ſpectamus, vel quod inter extremitates interiacet; ſi extremitates conſiderantur, oſſa omnia digitorum duplici figura ſunt donata, quarum altera primis & ſecundis oſsibus communis eſt, altera vltimis: vltima vero cæteris oſsibus ſunt depreſsiora, quàmuis enim initio latiuſcula ſint. quo tamen magis progrediuntur, eo magis attenuantur, & in anguſtam, & acutiorem figuram deſinunt: at ſi, quod inter extremitates interiacet ſpeculemur, figuram habet extremitatibus ſtrictiorem, quæ illorum corporum magnitudinem imitatur; præterea rotunda ſunt, conuexa quidem extrinſecus, intus vero & in lateribus non exacte conuexa . At ſi partem internam ſpectemus denſa quidem ſunt, vtrum vero ſoli da, an ſinus euidentes medulla repletos habeāt, ſenſus ipſe docebit, ne defendendi Galeni gratia anatomicos poſteriores gratis accuſare uideamur. Poſtremo ſi nexum ſeu poſitionem & illorum articulationem contemplemur per anarthroſim oſſa poſtbrachialis cum primis digitorum oſsibus connectuntur, per ginglymon vero prima cum ſecundis, & ſecunda cum tertijs coniunguntur.

Propoſita oſsium digitorum ſtructura vtilitates ſunt nobis proponendæ: atque vt primo de illorum temperatura frigida & ſicca, atque duritie, quæ temperaturam hanc conſequitur, loquamur, vtilitatem hanc communem conſecuta ſunt, vt ſint ſtabilimentum ac ſedes alijs partibus digitorum. ſubiecta etenim digiti etſi abſque oſsibus mouerentur, quemadmodum polypodes, firmitatem tamen in actionibus nullam haberent, etenim ſine oſsibus neque ſcribere, neque incidere, neque dura & grauia corpora quiſpiam apprehendere, neque aliud quid huiuſmodi facere ſine tremore poſſet. quod enim trementibus contingit propter morbum, hoc ſemper nobis omnibus natura contingeret flexis & tanquàm concuſsis digitis præ mollitie, quare oſsium natura adhoc adiutrix à virtute alteratrice data eſt ſuſtentans & confirmans in vnaquaq; figura digitos, quare oſſa digitorum per ſui temperiem, & quæ temperiem conſequuntur, habent rationem cauſę melioris operationis.

Quod ſi ea quæ neceſſario accidunt ſpectemus, & primo numerum, ſinguli digiti ex tribus oſsibus compoſiti ſunt, vt multiformiter figurarentur, id poſſe fieri non potuiſſet. ſi ex vno ſolo eſſent creati, quare neque motus illi optime fieri potuiſſent, qui digitos flexos deſiderant, ſed illis actionibus ſolis recte inſeruirent, in quibus digitis extenſis egemus. vt itaque apprehenſio perfecta fieret, neceſſe fuit vt ex tribus oſsibus inuicem per ſingulos articulos connexis componerentur, vt & perfecta flexio fieri poſſet, & circularem figuram imitarentur, ac ſi oſsibus carerent, nec non perfecta extenſio, & propterea rectam figuram deſcriberent, ac ſi ex oſſe ſolo conſtarent, & alias ſex figurarum differentias medias inter rectas & circulares vniuerſales quidem exprimerent, plures vero ac propemodum infinitas particulares. vt igitur facilius multiformiter digiti mouerentur, ex tribus oſsibus compacti ſunt; vt vero patiendi promptitudinem effugerent, trium

oſsium

ofsium numerus abunde fuit, quo enim membra ex pluribus particulis compofita funt, eò facilius quàm ea quæ ex paucioribus fatigantur & flexa collabuntur. Offa itaq; digitorum per fui numerum vim habent caufę tum melioris operationis tum fecuritatis.

Magnitudinem deinde fuperius propofitam obtinuere vt corpora parua veluti fpinas vel pilos comprehenderent; hoc autem fieri non potuiffet nifi ofsium magnitudo paulatim imminueretur, quare ob id minus priori fecundum femper effe debuit. offa itaq; digitorum per fui magnitudinem ad meliorem & perfectiorem apprehenfionem celebrandam, & uenuftiorem figuram conformandam conducunt.

At per figuram, quę magnitudinem confequitur, eandem habent vtilitatem quam per magnitudinem adepta funt: rotunda vero extitere, quoniam inter omnes figuras hæc vna pafsionibus eft minus obnoxia, vt pote quæ nullam habeat extantem eminentiam, quæ à foris occurfantibus frangi queat. Intus fima vel potius non exacte conuexa funt, quoniam internis fuis partibus digiti molliunt, terunt, & omnia accipiunt, quæ deterius fierent, fi offa inibi conuexa fuiffent. Præterea non æque commodam fedem tendines crafsiores eò porrecti obtinuiffent, fed in hanc atq; in illam partem potius declinaffent;fecus autem in externa cōtigit,nam illuc membranæ ritu tendones fubtilifsimi producuntur, quales illorum motus imbecilles defiderant, neque in lateribus curua feu conuexa effe oportuit, vt feinuicem cuftodientes iniurijs minus effent obnoxij, atque inter fe adducti nullum fpatium vacuum relinquerent. Offa itaque digitorum per fui figuram vim habent caufæ tum melioris operationis, tum fecuritatis.

Poftremo fi nexum & illorum articulationem expendamus,ea eft articulationis ratio, vt & ad facilitatem & fecuritatem motus digitorum fit maxime opportuna, ut docuit Gale. 1. de vfup. 15. & hæc de ofsibus digitorum breuiter dicta fint.

Subfequuntur offa metacarpij, quod palma vocatur, quorum ofsium fi numerum fpectemus, vt ea prætermittamus,quę cum reliquis ofsibus communia funt,quattuor numerantur a Gal.lib.de ofsibus c.19. & 2.de fract. 8.fin magnitudinem reliquis digitorū ofsibus longiora funt, longifsimum indici præponitur, atque ita fenfim fiunt breuiora, vt omnium breuifsimum ac tenuifsimum paruo præponatur digito, fupra infraque appendicibus muniuntur, quæ fuis omnibus multo funt crafsiores, inferiori tamen capite hinc inde attenuata funt ad mediam ufque regionem, dein crafsiora fiunt. At fi nexum fpectemus appendices inferiores fuis lateribus fe contangunt, & ligamentis, quæ inde oriuntur valide coarctantur, & capite oblongo atque rotundo in finum primi ofsis digitorum inferuntur. & hoc modo cum illis per enarthrofim articulantur: appendices vero fuperiores lateribus quoque fe mutuo contangunt, & cartilaginei ligamenti opera inter fe alligantur, atque ofsibus metacarpij per fynarthrofim copulantur. In medio itaque ductu & fecundum palmæ longitudinem digno notatu interuallo inter fe diftant.

Quare si totam horum ossium seriem contemplemur, figuram nobis craticulæ repræsentant, sin figuram singulorum pendamus, intus sima extra gibba, & interna regione secundum longitudinem angularem lineam constituunt, & superiori parte exasperantur, atq; omnia hæc gratia melioris apprehensionis à virtute formatrice consecuta sunt. siquidem præter communem vtilitatem quam per temperiem, & quæ consequuntur, obtinuere, sui numero, magnitudine, figura & positione vnà cum ossibus carpi & digitorum manum vel concauam vel rectam efficiunt, quod fieri nullo modo posset si metacarpium ex vno osse constitueretur: non modico vero interuallo inter se distincta sunt, vt in illis musculi collocarentur. & hec de ossibus metacarpij.

His adnectuntur ossa carpi, seu brachialis seu prioris partis palmę, quorum numerum si quęramus, ne communia repetamus, octo numerantur: sin magnitudinem comparata reliquis ossibus extremæ manus parua quidem sunt & cæteris minora. quod si mutuo comparentur, maxima omnium sunt primum & septimum; his minus est secundum, deinde sequitur octauum, postea quintum, cui succedunt sextum ac tertium, quartum minimum est omnium. Horum figura est varia, nam partim gibba, partim sima, partim recta, partim orbiculata in exteriori supeficie leniter gibba, sinuata intrinsecus cernuntur, at quintum & octauum os processus interna sede producunt, qui referunt figuram ipsius C.

Quo vera ad nexum & positionem attinet cuncta nerueis chartilagineisq; nexibus inter se per synarthrosim constricta sunt, duasq; acies constituunt, in quarum vtraq; quattuor sunt collocata.

Eandem vero cum ossibus metacarpij præstant vtilitatem nedum numero, verum etiam magnitudine positione ac figura. etenim si vnum simplex os esset locatum, atque intrinsecus quidem fuisset excauatum, extrinsecus vero conuexum ab omni quidem duro facile frangeretur, & sic totum præter naturam haberet: Cum vero ossa plura extiterint vno affecto octaua pars constructionis tantum corrumpitur: non solum itaque per duritiem verum etiam per numerum hęc ossa facta sunt ad tutelam, ex quo rursus numero transpositionem adepta tum concauam plurimum, tum rursus efficiunt rectam manum. accedit etiam horum ossium inter se dearticulatio, quæ nedum ad meliorem apprehensionem faciendam conducit, verum etiam ad dyspathiam hoc est patiendi difficultatem. etenim cedentia occursantibus ad suas dearticulationes, exsoluunt ipsorum violentiam. Immo si dearticulationem horum ossium cum vlna & radio spectabis, cum duplex existat altera finium carpi ingredientium concauitatem inter epiphysim cubiti & radij mediam; altera parua ossis paruam apophysim cubiti circum plectentis, hanc gratia versionum manus ad pronum & supinum factam esse videbis. propter aliam vero magnam articulum carpi extensionem & flexionem adeptum fuisse. Quin & multiformis figurarum varietas ad communis dyspathiam incredibiliter conducit. Multiformiter enim cedit

dit his, quæ ex omnibus locis incidunt. si vero vniformis ipsorum compositio fuisset, læsionibus obnoxia foret: quoniam ne credere qnidem omnino posset.

At video ingeniosum quempiam hoc loco dubitare cur factum sit, vt Gal. li. de ossibus c. 18. dixerit ossa carpi inter se coarticulari, 2. verò de vsu par. 8. dearticulari, cum ait per suas dearticulationes Græcis diartrosis ad patiendum minus apta reddi.

Cui dubitationi non alia ratione crediderim satisfieri posse, quàm si dicamus Gal. in lib. de ossibus ad motum obscurum & latentem specta sse: 2. vero de vsu p. ad nexum satis laxum; vt Falloppius existimarit hæc ossa per diarthrosium potius quam per synarthrosim esse inter se colligata. & hęc de ossibus carpi dicta sint. quæ ad apprehensionem efficiendā conducunt tanquàm causa melioris operationis & securitatis. Immo propter hæc extremæ manus ossa omnia & multa sunt & ita composita.

His succeduntossa cubiti, cuius nomine intelligimus totam ilam partem, quæ inter humerum & carpum posita est: Hæc autem si ea spectemus quæ necessario accidunt, sunt numero duo: magnitudine longa, humero tamen breuiora partes, quæ sunt in medio tenuiores existunt, quæ in gibbo cubiti & carpo propter epiphyses crassiores. Horum altera vlna; radius alterum nominatur: vlna tamen longior est radio: tota pars superior vlnæ cartilaginea visitur, dum oritur fætus, quæ in posteriorem & priorem processū diuiditur, quos vtrosq; communiter coronas, hoc est cornices quod rotundi sint, vocant, quorum anterior minor; alter quidem grandior est. rursus prior processus vnà cum cauitate sigmoide dicta citissime in os vertitur, & appendicis vestigium statim deletur: posterior vero, quem Athenienses olecranon nominant Hipp. ancona vsq; ad septimum annum appendix est, & quasi cartilagineum apparet: post septimum autem decrescere incipit, & osseum penitus factum ossi reliquo adglutinatur.

At si vlnæ positionem ac nexum spectemus, hæc quidem recta est, articulatur vero cum imo parte humeri per Ginglymon, quoniam in sinum, quem sigmoidem appellant, humeri orbita, quæ trochleæ similis inter duo eius tubercula sita est, inseritur, In parte vero inferiori vlna minimo digito respondet, a quo processulus quidem tenuis & auctus styloides vocatus producitur, & carpo dearticulatur; vtrum vero huic articulationi Gal. eum tribuerit vsum, quem Vesal. & Columbus ipsi adscribunt, suo loco dicetur.

Quo vero ad figuram in exteriori parte teres est.

Vlnæ radius incumbet grecis cercis nuncupatus vlna breuior in capita crassiora desinit; superius tamen minus est ac rotundius inferiore, cum inferius maius & latius existat: positionem habet obliquam, supra infraqne validis ligamentis cubito colligatur, vel potius dicendum est radium superius vlnæ, & vlnam inferius radio alligari: media inter se omnino dehiscunt: radius præterea superius cum humero, inferius cum brachiali dearticulatur, sinu namq; rotundo caput humeri rotundum excipit: at in infe-

riori parte in amplũ ac geminũ finũ excauatur, in quo per diarthrosim duo insidet suprema brachialis ossa, qbus quoniã reliqua brachialis ossa, vt diximus, coarticulanť, merito dicẽdũ est totũ brachiale cũ ipso radio copulari. Ad hæc radius, si eius figuram spectemus, extra teres est, vt vlna, intus autem acuta acie, quæ longo ductu extenditur e regione alterius lineæ, quam eidem persimilem in interna vlnæ parte obseruatur, ambo hæc ossa caua sunt, ac medullosa.

Horum ossium vtilitatem si quæramus, duo quidem facta sunt, & alterum positionem rectam, alterum obliquam obtinuit, vt cubitus duabus motuum differentijs moueretur. quarum altera non solum ad extensionem & flexionem totius manus, verum etiam articuli carpi, & illius obliquum motum pertinet, altera vt tota manus ad pronum & supinum moueatur, vlna siquidem extensionibus & flexionibus & motibus ad pronum & supinum extremæ manus; radius vero conuersionibus ad latera, hoc est ad totam manum pronam vel supinam flectendam subseruit, quemadmodum docuit Gal. 2. de vsup. 11. & 13. & ob eam causam vtriusque ossis dearticulatio ad humerum seu brachium dissimilis fuit. Verum cum positio radij obliqua sit, & in omnibus duplex sit obliqua positio (vel enim cæpta intus foris desinit; aut contra foris quidem incipit, intus autem finit) videndum est cur natura positionem hanc secundam potius quàm primam radio donauerit. Cui rei vt satisfaceret Gal. 2. de vsup. 13. dixit non ob aliam causam radium positionem hanc potius quàm alteram obtinuisse, nisi quia positio hæc ad multo plures & magis necessarias actiones manus vtilior erat futura, quàm altera. quod facile probari potest, si dicamus. Motus ad pronum pluribus inseruit actionibus, & magis necessarijs quàm motus ad supinum: Sed positio radij promptior est vt manus moueatur ad pronum quàm ad supinum: positio itaque huiusmodi pluribus & magis necessarijs actionibus vtilior erat futura. Maior patet vnicuique contemplanti tum multitudinem tum necessitatem actionum, quæ fiunt prona manu, & paucitatem earum, quæ fiunt supina. etenim scribimus, pinguimus, suimus, & alias huiusmodi artes admodum necessarias prona manu, non autem supina exercemus. Minor probatur hoc modo. si dicamus positionem illam promptiorem esse vt manus moueatur ad pronum quàm ad supinum, quæ pronæ figuræ vicinior est: Sed positio radij est pronæ figuræ, promptior est itaque vt manus moueatur potius ad pronum quàm ad supinum. ad propinquum namq; locum promptior & facilior omnibus, quæ mouentur, latio est, ad longinqua difficilior. Radius vero incumbit vlnæ, quia vlna longior est, & plurimum ipsa dearticulatur brachio, & rationi consonum fuit os breuissimum super longiore vehi. At partes horum ossium mediæ tenuiores extiterunt, quę vero in gibbo vlnæ, & carpo crassiores, quia illas musculis locum prabere oportebat, has vero epiphysibus crassescere, quoniam ossium magnorum ad validos motus futura erat dearticulatio. quare præter communem vtilitatem, quam ossa omnia ex temperatura, & quæ temperaturam consequuntur, vlna & radius sui numero

nexu,

nexu, figura & positione ad apprehensionem celebrandam vim habent causæ melioris operationis.

Sed hoc loco subticere non possum Vessalium & Columbum vtrunq; lib.1.cap.25.falsò Gal.adscribere,quod voluerit processulum vlnę ob eam causam cum brachiali dearticulari, vt hæc articulatio conferret ad manum in obliquum agendam,& per motum obliquum dicunt Galenum intellexisse,cum manus in vtrunque latus ducitur pari nimirum motu, cum digitos inuicem adducimus & reducimus, cui motui tantum abest inquit Vessal.ut articulatio hæc hunc præbeat vsum, vt potius impedimento sit, ne manus eo modo moueri possit. hæc illi.

Nos vero existimamus Vessalium legisse quidem Gal.sed cursim: Columbum vero Vessalio nimium credidisse, quoniam Vessalius dum legeret Gal.lib.de ossibus 17.obseruauit Galenum voluisse vlnam cum brachiali duplici nexu copulari, quorum alter à natura factus esset vt brachiale in obliquum duceret, alter vero vt in rectum moueret: at bonus vir in doctrina Galeni parum versatus inquit se arbitrari Galenum per obliquum motum intelligere ubi manus in vtrunque latus ducitur, quemadmodum fit cum digitos inuicem adducimus & reducimus. & subdit Galènum per obliquum seu lateralem motum ferè semper intelligere motum illum, quem ipse imaginatus est, id quod dum asserit manifestę ostendit se non legisse Galenum 2.de vsup.2.& 13.ut pretermittam eiusdem authoritatem 1.de anath.adm.10.in calce.quoniam cap.illo 2. duplicem hanc ulnæ cum carpo articulationem proponit, & subdit hæc formalia uerba.

Hæc quidem gratia versionum manus ad pronum & supinum facta est; propter aliam magnam extéditur & flectitur carpi articulus; quid clarius? falso itaque adscribunt Galeno quòd voluerit coniunctionem illam styloidis vlnæ cum carpo motibus manus ad utrunque latus inseruire, immo Galenus nunquàm somniauit articulationem illam, quam ipsi attribuit Vessalius. & quod peius est, non uidetur intelligere quid velit Gal.per motum ad latera,cum nihil aliud intelligat Galenus,quàm motum ad pronum & supinum, ut luce clarius constat unicuique legenti uerba Galeni 2. illo de usup.13.ubi habet hæc uerba. sed motus quidem membri per extensionem & flexionem fit secundum eius longitudinem;qui vero fit ad pronum & suqinum ad latera est. Hæc proponere uolui,ut intelligant studiosi authores doctissimos non cursim & saltibus esse legendos; Sed in illorum doctrina intelligenda maximum studium operam & diligentiam esse adhibendam;ne dum alios carpere studemus,nos nostra temeritate plectamur.

Postremum locum obtinet os humeri seu brachij, quod vnicum, est omnium maximum, femore tantum excepto ac tibia. Cuius pars superior appendice donata in duo partitur capita,quoniam internum latus appendicis in amplum & rotundum caput desinit; externum uero in aliud asperum & inæquale caput instar collis protuberat; at inferior humeri pars duas habet epiphyses, hoc est appendices, quarum altera foris, intus altera prominet. in quarum medio cauitas quædam leuis est & rotunda

similis

similis rotarum cauitatibus, circa quam ipsius cubiti coronæ mouatur. Vbi vero cauitas ipsa definit vtrinq; bathmides sunt hoc est sinus, termini, sedes, & fundamenta extremæ extensionis & flexionis cubiti, ad quas vbi peruenirent coronæ vlnæ prohibentur vltra procedere, quare sinus inferior trochleæ figuram perbelle nobis referre videtur. Reliquæ humeri partes rotundæ, nec rectæ, neq; omnino similes, gibbæ quidem anteriore atq; exteriore in parte, in posteriore atq; interiore simæ sunt, & intus cauæ.

Quo loco tibi notandum est Columbum perperam Galeno imponere, quod in parte inferiori humeri epiphyses non agnouerit, cum tamen Gal. 2. de vsu p. 15. vbi describit caput inferius humeri aperte dicat epiphysim habere duplicem hanc foris, illam intus, & sub finem eiusdem capitis animaduertat in locis epiphyseon oriri ligamenta, quæ totam dearticulationem constringunt. Hoc autem os superiore parte cum scapula, inferiore vero cum vlna & radio dearticulatur.

Os autem vnum ad tutelam efformauit natura, maximum vero nedum ad tutelam, verum etiam ad corpora magna comprehendenda. Intus simum nedum propter vasa & musculos, verum etiam vt brachia essent aptiora ad apprehendenda corpora conuexa & gibbosa. Nexum uero cum scapula eius generis fortitum est brachium seu humerus ut ad quemlibet motum promptissimum esset: cum radio uero & ulna ut cubitus flecteretur & extenderetur, & in orbem moueretur, ut supra dictum est. ubi de ulnæ & radij articulatione locuti fuimus, quare os humeri præter utilitatem communem, per ea, quæ necessaria accidunt ad apprehensionem, conducit tanquàm causa, & securitatis & melioris operationis.

His accedunt ossicula quædam, quæ sesamina græcis sesamoide nominantur. hæc multis manuum & pedum articulis natura ex abundanti uelut auctarium circumposuit ut articuli replerentur, firmarentur & arctius ligarentur, & propterea luxationibus minus obnoxij redderentur, quare securitatis gratia & ad melius procreata sunt, ut uoluit Gal. 2. de usu p. 12. uerum ob illorum paruitatem non ita facile obseruantur.

Ossibus subsequuntur chartilagines, quæ osse quidem molliores sunt, aliarum uero partium durissimæ, leues & politæ, quarum sedes posita est in extremitatibus ossium, quæ ad motum destinata sunt, quę ne dum in articulis digitorum & metacarpij locum habent, uerum etiam in commissuris carpi, cubiti & brachij resident; quod manifestè docuit Gal. 2. de usu p. 8. & lib. de inæquali intemperie. 2. quare per ea quæ temperiem consequuntur nedum ad tutelam, uerum etiam ad melius fuere procreatæ, ut scribit Gal. 12. de usu p. 15. & xi. de usu p. 18. quoniam cum ossium capita omnia densa ac dura fuerint ossibus laxis & raris adnata, ea inter se cum esset contraria natura quidem unire despexit, & propterea amicitiam ipsis inter se quandam & consuetudinem innoxiam ex insertionis modo est machinata; quare chartilagines instar glutinis cuiusdam utriusq; adlinens cauernulas quidem ossis laxi, quæ sunt in finibus refarciens, asperitates uero leuigans adeo ualide sui ipsarum interuētu ipsa inter se colligauit & coniunxit,

xit, ut nisi quis ea coxerit, aut exsiccauerit, compositionem deprehendere nequeat: at leues & politas finxit natura,ut ofsium extremitates subiungerentur.cui etiam rei plurimum contulit humor quidem unctuosus, uiscosus, uelut oleum superfusus, per quem facile mobilis simul & attritu contumax,omnis ofsium dearticulatio facta est, ut monuit Gal. primo de usup. 15.ac.3.de fac.naturalibus,ultimo.quare sicubi chartilagines ipsæ fuere necessariæ, huiusmodi humore perfusæ proculdubio in articulationibus totius manus,& præsertim digitorum & humeri cum scapula necessariisimæ fuere.

Præter chartilagines ad ossa inter se componenda ligamenta quoq; fuere admodum necessaria,quæ à uirtute alteratrice consecuta sunt, ut & chartilaginibus molliora,neruis uero duriora existant, insensibilia quidem, & suapte natura ad motum inepta.Crafsitudinem uero seu tenuitatem,numerum,conformationẽ & posituram a uirtute formatrice obtinuerunt,& quoniam pro articulorum compositione formam & magnitudinem sortita sunt, hinc factum est,ut digitorum dearticulationes cum essent paruæ ac diligenter cauatæ,subtilibus uero labijs undiq; coronatæ chartilagine etiã tenui superlitæ ligamentis quoq; membranosis fuerint connexæ, quemadmodum durioribus crafsioribus & latioribus non solum brachialis, uerum etiam postbrachialis articulationes colligatæ sunt, crafsifsimis uero ac durifsimis membranosis tamen carpi cum cubito & cubiti cum brachio: at humeri cum scapula dearticulationem ligamentis non chartilaginosis non crafsis neque omnino duris, sed admodum tenuibus & mitioribus,& quę minimo negotio quàm longifsimè extendi possent natura creauit.

Horum utilitas duplex est,altera quidem communis,altera uero definitiua dici potest: communis quidem est, ut per sui duritiem apta nata sint ossa inter se colligare, dearticulationem custodire, & corpora subdita ab iniurijs uindicare,per sui uero mollitiem,ne ofsibus a musculis tractis disrumpantur,sed cedant & obsequantur; definita uero ea esse dicitur, quæ oritur non solum ab ijs quæ consequuntur,uerum etiam ab ijs, quæ necessario accidunt,quare ligamenta,quæ articulos digitorum,metacarpij & carpi colligant durifsima quidem & cartilaginea,sed subtilifsima,& membranea extiterunt,ut manus non solum commode extendi posset, verũ etiam vt motus vehementes absq; disruptionis aut luxationis periculo fieri possent. Crafsiora vero ac robustiora in articulationbus cubiti cum carpo & brachio extitere,quoniam horum articulorum necefsitas ita postulabat,vt pote quorum motus futuri erant vehementifsimi: at quæ humerum cum scapula connectunt, tenuia & mollia facta sunt,quemadmodum motuum varietas desiderabat. etenim si natura omnes articulationes tutas construxisset, sępe varietas motuum cum securitate structuræ pugnasset, quare in articulo carpi & gibbi cubiti dyspathiam potius quàm motuum varietatem, in humerorum vero articulo varietatem potius quàm tutelam spectauit.Verum si horum positionem contemplamur,vt ab osse altero producta in alterum inseruntur,præterquàm quod ossa hæc inter se colligant,

eam

eam quoque utilitatem præbent, ut musculi ossibus coalescant, & inde membranæ musculos conuestientes oriantur, ex quibus satis conllat dearticulationem omnem ligamentum ac musculum ad componendos inter sese articulos assumpsisse, ut testatum reliquit Gal. 12. de usu p. 2. Ex his itaque sequitur, ut ligamenta nedum per ea quæ consequuntur, uerū etiam per ea quæ necessario accidunt ad apprehensionem plurimū conferre possint & uim habeant causę nedum melioris operationis, uerum etiam dyspathiæ hoc est securitatis.

Quoniam uero ex ligamentis fiunt membranę, quę musculos operiunt, ut scribit Gal. 12. de usu p. 2. ob id de membranis dicendum est, sub quibus etiam membrana carnosa & periostium comprehenditur. Harum substantia mollior est ligamento; superficiem æqualem ad similitudinem telæ araneæ contextam densam quidem ac tenuem habent, & pro uario situ partium subiectarum uariam, & ipsæ sortitę sunt positionem. totque numero fuerunt, quot partes, quas circunuestiunt, sensibiles uero sunt, quia uim a neruis, qui per eas disseminantur, suscipiunt: at membrana carnosa præter cutim & pinguedinē reliquas omnes totius manus partes tanquàm indumentum obducit: partibus proximis per fibras raras, per uenas plures, pauciores arterias, & neruorum propagines adnectitur. Cum itaque eiusmodi naturam sortitæ sint a uirtute, tum alteratrice tum formatrice partibus subiectis hanc præstant utilitatem, ut illarum peripheriam, hoc est circumferentiam ita contegant, ut instar subuculæ ab iniurijs tueantur, quare nedum per opera facultatis alteratricis, uerum etiam formatricis ad apprehensionem conducunt, ut uim habent causæ securitatis.

Hic de uenis, neruis, & arterijs tanquàm de communibus instrumentis esset dicendum, ut unusquisque intelligeret qua ratione ad apprehensionem conducunt, uerum quia ductus, quorum officiū est, ut uim suorum principiorum cum operibus distribuant, ob id non est, ut in his describendis multum temporis insumamus, cum in manu nihil habeant proprium ac peculiare quod cæteris partibus non conueniat. Satis igitur officio nostro fecisse uidebimur, si dicamus neruos manus a septima & octaua ceruicis uertebra, & inde a cerebro uim sensitiuam & motiuam una cum radijs spirituum animalium suscipere, eaq; omnia partibus manuum ad hoc suscipienda paratis impartiri, ijs quidem, ut sensibilia discernantur, illis uero, ut quæ mouenda sunt moueantur: uenas uero uim naturalem unà cum sanguine deferre, ut omnes partes nutriantur: arterias demum uim uitalem una cum spiritu & sanguine arterioso distribuere ut uiuant, ex quibus satis constat neruos ad operationem hanc plurimum conferre posse, & uim habere causæ sine qua non; uenas uero & arterias ad custodiam & tutelam pertinere.

Quod si hoc loco animaduertat Anatomicus quattuor esse uenas in manu, quæ a medicis secari solent, nempe cephalicam, basilicam, communem & saluatelam, is non longe aberrabit a munere suo, præsertim si docebit cephalicam exteriorem quoq; & capitalem appellari posse, atque illius sedem

dem superficiariam esse prope primum musculum, qui cubitum flectit: basilicam uero quandoque iecorariam, seu hepaticam & ab Hippoc. interiorem nominari, & prope cubiti flexuram in duos ramos dispartiri, ut alter cum ramo cephalicæ unitus uenam illam constituat, quæ per participationem utriusque rami communis appellatur; saluatellam tandem ab axillari inter minimum digitum & anularē deriuari, cuius sectio potius quàm alterius quantū in affectibus lienis prodesse posit, iudicabunt illi, qui progressum uenarū obseruarunt: reliqua uero, quæ de huiusmodi partibus dici possent, in particularem sermonem de uenis, neruis & arterijs sunt reijcienda, quoniam, ut supradiximus, autopsia, seu anathomica ostēsio hoc unum postulare uidetur, ut exacta, & exquisita de partibus similaribus disputatio præmittatur.

Subsequuntur fibræ musculorum, quæ diuersæ sunt a fibris reliquarum partium, etenim sicut illæ tanquàm ex materia, ex qua ortum habent, ex semine, sic fibrę musculorum ex neruo & ligamento fiunt: Siquidem neruus & ligamentum in musculi caput inseruntur, & in prima insertione in pauciores distribuuntur portiones: illis autē rursus in alias scissis, hisq; intersectis in alias, eousq; tandem scissura tendit, ut in membranas & subtiliores telis araneis fibras terminetur; at illæ particulæ rursus inter se coeunt, & portiones prioribus maiores, numero tamen pauciores generāt, quæ in fine musculi tum numero, & magnitudine pares ijs, quæ initio primo locantur, euadant, in tendinē tandem desinunt in ijs præsertim musculis qui ad articulos pertinent, quēadmodum nobis testatum reliquit Gal. 1. de motu mus. 2. & primo de sem. 10. fibræ itaque tēperatura frigidiores, & sicciores sunt quàm nerui, & propterea etiam duriores, & alijs fibris crassiores, atque unius tantum sunt generis, aut enim sunt rectæ, aut transuersæ, aut obliquæ pro uaria musculorū positura, nullus namq; musculus duo habet fibrarū genera, aut plura, ut optime nobis significauit Gal. 6. de usu p. 8. & ratio ea est, quoniam singuli musculi singulos habent, & simplices motus.

Harum utilitas non exigua quidem est, quando musculi corpus constituunt, & uim utranque tum sensitiuam tum motiuam carni communicant, ui quarum caro sentit, & mouenda mouet, atque motui musculorū ueluti chordæ inseruiunt, ut interdum musculi ad motum ciendum solis fibris vtantur in his præsertim, in quibus articuli non sunt mouendi: at vbi articuli moueri debent præter fibras natura tendonem quoque adhibuit, quare musculi productu fibrarū semper mouenda mouent, ea nāque ad proprium principium semper adducunt: at propria vtilitas, quam cū cæteris fibris communem habent, & quæ fibris vt fibræ sunt, cōpetit, est, vt carnem sustineāt, atque ne diffluat ac dilabatur conseruent, quare per opera virtutis alteratricis ad apprehensionem celebrandam conducunt tanquàm causa sine qua non, per opera vtriusque facultatis nedum, vt causa sine qua non, verum etiam, vt vim habent causæ tum dyspathiæ tum melioris operationis.

Quoniam vero ex coalitu fibrarum tum neruorum tum ligamentorum diximus fieri tendones, ob id sequitur, vt videamus qua ratione tendones ad apprehensionem conducant: quod, vt cognoscamus, illud supponendũ est tanquàm manifestum, tendones esse temperaturæ frigidæ & siccæ, cuiusmodi sunt fibræ, ex quibus componuntur, & propterea etiam substantię durioris quàm nerui; mollioris quàm ligamenta, crassioris vtrisque: horũ quosdam rotundos, quosdam latos tenues & membranosos formauit natura: omnes tamen densos & numero plures, quoniam vnius musculi quandoq; duo, quandoq; tres, interdum quattuor & plures obseruantur tendones, vt in constructione musculorum manus declarabitur. quòd si horum positionem spectamus, pleriq; ex fine musculorum oriuntur, & in caput ossis mouendi figuntur, excepto tendine lato, qui ad cutim manus interioris, & præsertim volæ terminatur, cum cuti intertexitur, & implicatur, quemadmodum experiuntur illi qui cutim ab huiusmodi tendine per sectionem separare contendunt.

Horum vtilitas multiplex esse potest, sed communis & propria est, vt membra motu vehementi moueantur, non autem, vt ossa moueantur, quoniam oculorum musculi tendones habent, nec tamen ossa mouent. quo loco animaduertendum est motum vehementem nedum intensiue, verum etiam extensiue cõsiderari posse. vtilitatem hanc tendines præstant per sui duritiem, & crassitiem, atque per eadem opera vincula tuta musculorum euadunt: alligant enim musculos subiectis ossibus, in quæ inseruntur, quare vt ligant non differunt à ligamentis: vt vero sentiunt & mouent à neruis. vsum enim vtriusq; præstant: At per sui magnitudinem utiles sunt quoq; ad ossa mouenda, per longitudinem vero, quia leuem simul & tenuem esse extremam manum oportebat potius quàm turba carnium obrutam grauem simul & crassam fieri, sic enim multa deterius & tardius fierent eorum, quæ nunc prompte & perbelle geruntur. rotundi quoq; nonnulli facti sunt vsq; ad articulos, vt difficilius paterentur: in articulationibus vero expanduntur, atq; latiores fiunt, vt articulorum aciem trahentes facilius mouerent.

At si sermo sit de vtilitate tendinis lati, credendum est cum Galeno 2. de vsup. 6. tendinem hunc factum esse a natura, eamq; temperiem, duritiem & compositionem obtinuisse, vt certiorem exactioremq; sensum traderet, vt cutim difficile circumuersatilem, duram & depilem efficeret, quoniam manus cum organum apprehensorium esset futura, oportuit eam cutim non modo difficile circunuersatilem habere, vt præter alia commoda parua corpora tuto apprehendere posset: verum etiam, vt tota reliqua cuti sensibilior redderetur. non enim oportebat aliud esse apprehensorium, aliud tactorium organum; neq; aliud esse quod acciperet, aliud, quod de qualitatibus tangibilibus iudicaret. Si igitur propterea tactricem manum esse oportuit, quia fuit apprehensoria, merito ijs partibus debuit tactrix, quibus apprehensoria: depilis quoque esse debuit ac nuda, vt omnes partes sibi appropinquantes tangeret: dura quoque, vt ad multas actiones es-

set accommodata: quare tendones per opera tum alteratricis, tum formatricis ad apprehensionem conducunt, vt vim habent causæ nedum melioris operationis, verum etiam securitatis.

Sequitur caro non musculosa, sed quæ ad constitutionem digitorum pertinet, cuius proprietatem in toto corpore non est similem reperire, siue duritiem, siue densitatem, siue illius colorem spectamus, etenim cum hæc in genere carnoso sit temperatissima, non erit adeo mollis & humida, quemadmodum est caro musculosa, neq; adeo dura, sicca & densa, quemadmodum ligamenta, nerui & tendones: huius figura, numerus & magnitudo tunc constabit, cum primum illius positionem cognouerimus, quam vnusquisq; etiam absq; sectione facile & oculis ipsis obseruare potest. si quidem videmus extremitates internas digitorum esse carnosas: super externas vero partes nullam generari carnem, perpaucam in articulis, plurimā in partibus inter articulos medijs, in lateribus vero digitorum tantā, quanta medium ibi spatium vacuum erat repletura; atq; tota hæc caro maxime omnium exactissimum & certissimum sensum est consecuta, & præsertim caro quæ posita est in extremitatibus internis digitorum, propter quam causam eiusmodi temperiem, quam diximus, fuit sortita, cuius causa etiam fit, vt cum calidā intra se humiditatem habeat aduersum æstus ac frigora veluti propugnaculum ac tegmen quoddam existat; & enim æstate resudans & humectans extrinsecus refrigerium affundit: hyeme vero contra suo ipsius calore frigiditatem externam propellit: ob duritiem vero ac moderatam densitatem instar pileorum densorum iniurijs corporum molliter leniterq; cedendo resistit, quam vtranq; vtilitatem communem habet cum reliquo genere carnium. At carnosas digitorum extremitates internas & moderate densas manus habere debuit, vt corpora pauca & dura comprehenderet; externas vero ossium partes natura ex carne produxit, vt ad motum essent promptiores: sub omnibus vero internis partibus nutriuit, vt præter supradictam vtilitatem tereret & molliret, quæ mollibus instrumentis molliri & conteri possent, atq; vt ossium rectitudinem tunc corrigeret, quando manus est aliquid circulo apprehensura, quare in articulis perpaucam, in partibus inter articulos medijs plurimam generauit, alioquin impedimento motui extitisset; lateribus vero digitorum aliquid carnis affixit, vt inde manus non solum, vt organum diuisum, verum etiam vt omnino indiuisum agere posset, & hæ sunt propriæ huiusce carnis vtilitates, quo fit vt & meliorem & magis tutam operationem reddat.

Post carnem subsequuntur musculi, qui præter vsum proprium & communem compositæ quoq; carnis præbent vtilitates; horum temperatura, quam ex mixtione partium similarium, sunt consecuti, alia est à temperatura partium musculum ipsum constituentium, de quo genere temperaturæ locutus est Aui. libro secundo tract. primo cap. primo: quare cum musculi maiori ex parte fiant ex carne, propterea ad caliditatem potius & humiditatem vergunt, quàm ad frigiditatem & siccitatem. Horum figura, situs & magnitudo tunc plane perfecta nobis erit, cum de numero musculorum

manum ipſam conſtituentium locuti fuerimus, vt his enim enumerandis & figuram, & magnitudinem & ſitum explicabimus, & quoniam cognitio muſculorũ brachij, & cubiti non parum conducit ad cognitionem muſculorum extremæ manus, ob id a muſculis humerum mouentibus exordiemur. Hic autem cum omni motus genere moueatur ſurſum deorſum; ante, retro: & circulari motu, neceſſe fuit, vt plures eſſent muſculi ſeptem itaq; natura his motibus dedicauit.

Primus quidem tres habet exortus, quorũ alter exurgit ex media ſterni ſiue oſsis pectoris latitudine; alter ex chartilagine ſeptimæ & octauæ coſtæ; tertius ex media clauiculæ ſede. Ex his principijs prodiens muſculus paulatim fit carnoſior, & in acutum tantiſper procedit, quouſque in tendinem latum ſed breuem deſinit, qui in interiore humeri parte ſub ipſius ceruice inſeritur: Huius muſculi variæ ſunt fibræ, quia varia principia vnde corriuant, quo fit etiam, vt ſeſe mutuo interſecent ob variam principiorum poſitionem & vnicum finem. Huius vſus eſt, vt brachium ad pectus adducat, & pro varia explantatione, ſeu fibrarum ductu interdum ad clauiculam, interdum ad ſeptimam & octauam coſtam, interdum ad pectus brachium adducit.

Secundus humeri muſculus, quem Epomida, ſiue ſuper humeralem, aut deltoidem à figura litteræ Græcæ vocauit Gal. 3. de anath. adm. 3. tria ſortitus eſt principia, oritur namque e media clauicula; ab acromio hoc eſt a coniunctione clauiculæ cũ ſcapula, ſic enim locum illum vocat Gal. lib. de oſsibus 14. & 1. de art. 2. & ex toto maiori ſcapulæ proceſſu, quare initium latum, ac tendinoſum eſt, mox carnoſus efficitur, & in anguſtum ſenſim deſinit, ſuper humeri caput fertur & valido tranſuerſoque tendine ſub humeri ceruice implantatur, & quia diuerſa ſunt principis, diuerſas fibras habet, pro quarum ductu brachium attollit interdũ ad anteriora colli faciem verſus; interdum recta & in neutram partem inclinans, interdum ad poſteriora ceruicem & occiput verſus.

Tertius vnicum habet principium, exoritur enim ab inferiori parte ſcapulæ carnoſus fibris rectis & obliquo ſitu ſuper gibbam anterioremq; ſcapulæ partem progreditur: at in tendinem robuſtum & amplũ deſinit, qui in poſteriore humeri parte implantatur. Huius vſus eſt, vt brachium deorſum verſus poſteriora trahat.

Quartus muſculus magnus quidem, & admodum latus eſt. oritur ab apice ſpinæ ſextæ vertebræ thoracis, atque per apicem omnium vertebrarum perreptans deſcendit vſque ad oſsis ſacri dimidium, hoc principium adeo longum tenue, & continuum eſt ad ſimilitudinem amplæ membranæ, factus deinde carnoſus ad anteriora verſus coſtarum regionem procedit donec per tendinem latum robuſtum, ſed breuem humero inſeritur prope implantationem primi muſculi. fibras varias habet pro illius explantatione. Vſus eſt, vt deorſum brachium trahat non ſimplici quidem, ſed compoſito motu, nunc ad ſuperiora, nunc ad inferiora deducens.

Quintus muſculus a ſcapulæ baſi carnoſus enaſcitur totam ſcapulæ ca-

uitatem occupat,quę inter superiorem scapulæ costam,& eiusdem spinam conspicitur,osiique semper adeo arctè alligatur,ac si totus ex ipsa enascere tur: in validum desinit tendonem,qui sub validissimo ligamento scapulã in humero alligante repit, & in caput humeri superioris desinit, oblongus est, & gibbus. fibras secundum sui longitudinem habet, & ad brachium attollendum conducit.

Sextus musculus & ipse carnosus est è scapulæ basi exoritur, alteram interiorem seu infernam scapulæ cauitatem opplet, ipsique ita adhæret,vt connatus uideatur, ad scapulæ formam angustatur, in amplum & crassum desinit tendonem, & in caput humeri posteriora uersus implantatur. Huius officium est in posteriorem partem brachium deducere.

Septimus, & postremus sedem habet sub scapula in illius interna cauitate, vbi costis inhæret nascitur a tota posteriore scapulæ parte, desinit in tendinem satis latum,& in humerum interiorem inseritur, cuius officium est brachium ad suum prin cipium trahere, nempe dorsum versus, quare dum hi musculi, qui ad sca pulã pertinent succesione mouent brachium in gyrum vertunt,ad quem motum non parum conducunt,& alij: Omnes itaque musculi brachij per sui temperiem & moderatam densitatem funguntur munere carnis: per ea vero quæ accidunt, præter communẽ vsum, meliorem apprehensionem reddunt.

Subsequuntur musculi qui cubitum mouent, sunt autem numero quattuor, vt voluit Gal.lib.de dissect. mus.20.

Primus & maior musculus duo habet principia vtraque ligamentosa. primum rotũdum est, & nascitur a sublimiori ceruic is scapulæ supercilio, & per rimulam capitis humeri labitur; alterum vero tenuius & exquisite teres ab ancyroide processu egreditur, & cum ipso exoritur carniformis quædam substantia,quæ paruo musculo asimilatur.hæc duo principia sub capite humeri vniuntur,& musculum crassum efficiunt, hinc descendens per priores humeri partes ipsum usque ad medium tangit;ac inde sublimis in robustum crassum & rotundum desinit tendonem, qui iuxta finem dilatatur, radioq; adnectitur. fibras habet rectas,atq; huius vsus est cubitum flectere, aliquantisper tamen introrsum.

Secundus musculus priori succumbit omnino carneus,& minor: iuxta humeri caput e xoritur,& in os vlnæ inseritur.fibras habet non admodum rectas,& huius officium est flectere cubitum extrorsum inclinando, quòd si vtriusque motum spectemus, cubitum recte flectunt, quare Gal.recte intelligendus est.

Tertius ab humilis costæ scapularum dimidio,quod versus humerum ascendit,exoritur,per humeri posteriora fertur,& ad olecranon tendit, sic enim appellat Gal. 2. de fract. 66.& 2.de v sup. 2. acutissimam cubiti partem,seu cubiti gibbũ,& vlnæ verticem;& inde in externum latus inseritur. Huius fibræ sunt rectę,& gibbi cubiti dearticulationem extendit, parumper tamen extrorsum inclinat.

Quartus ex posterioribus partibus capitis humeri exoritur, qui cum tertio

tertio coaleſcit & maximum tibi muſculum efficit, qui lato tendine in cubiti gibbum inſeritur. Huius officiũ eſt dearticulationem gibbi cubiti introrſum aliquantiſper extendere, cum altero vero recta cubitũ extendere: quare & hi præter communes utilitates per ea quę neceſſario accidunt, ad melius conducunt.

His proximi ſunt muſculi radij peculiares, qui numero ſunt quattuor, duo ad primas radij partes; reliqua duo ad poſtremas iuxta brachiale pertinent: duo interiores, & duo exteriores.

Primus interior ex vlnea carneus enaſcitur, & in radiũ carneus implantatur: inter vlnam & radiũ collocatus eſt in extrema parte radij brachiale verſus, totumq; illud ſpatiũ, quod intercedit inter radiũ & vlnam opplet, omnium qui ſunt in cubito breuiſsimus, & adamuſsim quadratus eſt, & veluti puluinar ſubſternitur tendonibus, qui ad digitos porrigantur. His muſculus partem radij iuxta brachiale introrſum trachias totam manum in pronum adigit.

Secundus muſculus exterior huic oppoſitus, ſi partem carnoſam ſpectemus, longiſsimus eſt omniũ, qui cubitũ perreptant: oritur ex tuberculo humeri exteriori, & toti radio ſuperſtratus definit in tendinem mẽbranoſum, qui in ſuperiorem appendicẽ radij inſeritur, aliqua tamen ex parte in interiora productus. Hic muſculus inferiorem radij partem, quæ brachiali committitur in exteriora trahens, ſupina manus tota euadit.

Tertius internus ex humeri nodo, ſeu tuberculo, & ex interiori latere vlnæ, qua humero articulatur carnoſo & valido principio enaſcitur, hinc obliquè per internã radij ſedem porrigitur, & ante mediũ eiuſdem radij carnoſa inſertione implantatur, ab hac neruea implantatione, vſque ad mediũ longitudinis radij producitur, & hic ſuperiori parti radij validiſsime adnectitur. Huius officium eſt totam manum pronam conſtituere, partem ſuperiorem radij trahens.

Quartus tandẽ externus & oppoſito minor enaſcitur a ligamento membraneo exteriorẽ cubiti articulum circundante, nec non ab externo gibbi cubiti latere hinc ad radium in priora conſcendit, & in radio prope inſertionem interioris muſculi cõplantatur. Hic dum ſuperiorem radij partem extrorſum oblique mouet, manum ſupinã efficit, qui quidem muſculi vna cum ſuperioribus cubitum radiumq; in orbem ambiunt, & meliorem apprehenſionem reddunt.

Nunc ſupereſt, vt aggrediamur muſculos ad extremam manum pertinentes, atque primo de his, qui ad palmam pertinent nobis dicendum eſt; ſunt autem numero quattuor.

Primus vnicum habet principium, quod eſt caro neruoſa: oritur autem ex tuberculo humeri interiori: hinc per vlnæ longitudinem prope inferiorem partem muſculorum quattuor digitos flectentium ad brachiale tendit, vbi in validum, & quodamodo teretem tendonem definit, qui robuſtiſsima inſertione in primum os brachialis apud magnũ digitum implantatur. Huius officium & aliorum, omnibus deſcriptis declarabitur.

Secundus

Secundus musculus ex eodem loco, quo & primus nascitur, oblique repit iuxta radij longitudinem prope brachiale: in tendinem teretem & validum degenerat, qui osi postbrachialis alligatur, quod indici & medio præponitur.

Tertius musculus ortum ducit ab exteriori parte tuberculi humeri, nec non ex posteriori vlnæ processu, inde humiliorem exterioremq; vlnę regionem amplexatur, & prope brachiale in tenuem finit tendinẽ, atq; osi postbrachialis digitum minimum sustinenti alligatur.

Quartus & postremus latiusculo principio super tuberculum humeri exterius enascitur, hinc carnosus radio insternitur: ad medium vero longitudinis in robustum degenerat tendinem, qui bipartitus ad radij appendicem iuxta brachiale tendit, quo cum peruenerit, duo illi tendines aliquantisper inter se distinguuntur, & amplis insertionibus in postbrachiale implantantur, vnus in radicem osis indicem sustinentis, alter in os eiusdem metacarpij, quod medio præponitur. Horum musculorum officium est, vt duo primi interiores palmam flectant; reliqui vero duo exteriores extendant, quos laterales quoq; conuersiones nobis concinnare putauit Gal. lib. de dissect. musc. 20. & 2. de vsup. 4. quoniam per primum musculum extrema manus in supinum per tertium in pronum vertitur, quibus etiam plurimum confert musculus quarto loco descriptus. ex his itaq; meliorem fieri apprehensionem nemo est qui dubitet.

Superest vt loquamur de musculis, qui mouent digitos, quorum alij maiores, alij minores dicuntur: rursus maiores in internos & externos diuiduntur.

Maiores interni sunt numero quattuor, exteriores quinque: quoniam inter hos numerare licet musculum illum, qui quattuor digitos a pollice abducit.

Primus internus principium habet teres, grande, ex carne nerueaq; substantia mixtum; deinde carnosus euadit & paruus, veramq; musculi formam describit; caput illi paruum est, venter latus, cauda longa vsq; ad brachiale; desinit in tendinem teretem, & oblongum, qui inter ligamenta brachialis pertransit, à quibus cum exierit tendo latus efficitur, qui per volam extenditur; montes tamen Veneris, & Martis (vt aiunt) non attingit, quem in quattuor tendines diuidi nonnulli obseruarunt, & in quattuor digitos implantari, vt digiti flecterentur; vtrum autem res ita se habeat, vos obseruabitis.

Secundus musculus internus nerueum & acutum habet principium: ab interno humeri tuberculo nascitur: deinde carnosus per cubiti, & radij longitudinem producitur; atq; vbi medium cubitum præterierit, tenuior redditur, & in quattuor tendines teretes ac perforatos diuiditur, qui sub ligamento brachialis delati in secundum digitorum articulum implantantur. Huius officium est secundum articulum quattuor digitorum minorum flectere; perforauit autem natura hos quattuor tendines, vt tendinibus tertij musculi, qui ad tertium articulũ eorundem quattuor digitorum

pene-

penetrandum erat, locum præberet, hac enim penetratione hoc vnum consequimur, vt articuli digitorum ordine quodam, & absq; vllo impedimento moueantur.

Tertius musculus robustior & maior est secundo; duo habet principia; nascitur quidem ab interno humeri tuberculo iuxta secundum; sed maiori ex parte à superiore & interiore cubito, sub secũdo occultatur: cubito adhæret, & paulatim angustatur, donec sub copula brachialis progressus in quattuor teretes nerueosq; tendines degenerat, qui per foramina supradictorum quattuor tendinum secundum articulum mouentium in tertium articulum eorundem quattuor digitorum inseruntur. Huius officiũ ex descriptione patet, cum tertium articulum quattuor digitorum minorum flectere debeat; hunc vero & superiorem musculum in quattuor tendines finiri putamus, vt in paruis corporibus, aut liquidis comprehendendis digiti exacte sibi inuicem hæreant, & nullum spatium in medio vacuũ relinquatur, quod nequaq̃ contigisset, nisi tendones, qui flectunt digitos ex eodem principio prodirent, quod cum in medio locatum sit, omnes simul & particulatim singulos trahens flecti & nutare eorum summitates ad seipsum cogit, quo fit etiam, vt siquis studeat flectere per vim digitos a seinuicem distantes, nullo modo possit.

Quartus musculus e radio explantatur, ligamentoq; adhæret, quod musculos exteriores ab interioribus dirimit: per radij longitudinem ad brachiale porrigitur, vbi in tendinem desinit teretem & nerueum, qui sub copula carpi cum supradictis pertransit; deinde in vltimum pollicis articulum, quem flectit, inseritur.

At ex musculis exterioribus, qui primo occurrit principium habet carneum & neruosum ab externo humeri tuberculo prodit, deinde magnus & carnosus inter vlnam & radium porrigitur, donec ad extremum radij iuxta brachiale perueniat, vbi tenuis factus in quasdam breues carnosas portiones diuisus, sibi tamen communi membrana & fibris tenuibus cohærentes nunc in tres, nunc in quattuor tendines degenerat, qui per sinum appendicis radij pertranseunt, vbi in vnum colligati ligamentis illis, quæ ab ipsa appendice oriuntur postmodum lati euadunt, & brachiali adhærentes, ibiq; occultati, & inter se diducti ad vnumquemq; digitorum minorum tendunt vsq; ad illorum summitates, & sub vnguibus terminantur, quo fit vt pars illa digitorum vnguibus subiecta adeo sit exquisiti sensus. Huius officium est, vt quattuor digitos extendat.

Secundus musculus exterior ab eodem tuberculo enascitur prope principium alterius musculi; huius principium acutum & nerueum est. iuxta primum musculum defertur in parte posteriori vsq; ad finem cubiti, vbi in duos tendines bipartitus sinu & ligamento vtitur, quod est commune radio cũ vlna. vbi vero tendines carpũ superarunt inter se diducũtur, & vnus ad paruum, alter ad anularem digitum contendit, & singuli in primum os sui digiti implantantur. Huius musculi officium est hos duos digitos a reliquis abducere, seu hos digitos exterius mouere.

Ter-

Tertius musculus exterior principiū ducit carnosum ex media vlna, vel non longè a media, vbi linea quædam oblonga & aspera conspicitur à natura producta, vt inde tres musculi explantarentur: oblique ad radij appendicem tendit, atq; in duos tendines plerumq; finitur, quorum alterum in indicem: alerum in medium digitum implantari videbis, interdum tamen altero tendine, qui ad medium pertinet, musculum hunc tertium priuari videmus, sicut secundum eo tendine, qui ad anularem. Huius musculi officium est hos digitos, in quos inseritur extendere.

Quartus musculus carneus & ipse prope tertium exoritur, qui obliquus est; defertur supra radij appendicem, & in teretem, ac nerueū desinit tendinem, qui totius pollicis longitudini alligatur, sed in tertium præsertim articulum implantatur. Huius officium est pollicem extendere, atq; ab alijs multum abducere.

Quintus musculus exterior ortum habet ab eadem cubiti linea prope quartum longo carneoq; principio; obliquè incedit pollicem versus. Varias habet inscriptiones, & in varios tendines desinit, vt ex hoc vno musculo tres & quattuor musculos efficere poßis, vnicus tamen est musculus, qui supra musculum bicornem delatus desinit in quattuor, & quandoq; in quinque tendines, quorum vnus in primum pollicis internodium, alter in secundum, tertius in tertium, quartus in os brachialis, quod pollici præponitur, implantatur: interdum etiam alij duo tendines hic reperiuntur, vt quidam aiunt. Huius officium est pollicem extendere. Omnes itaq; hi musculi tam illi, qui digitos flectunt, quàm qui extendunt nedum gratia apprehensionis, verum etiam melioris apprehēsionis à natura producti sunt; de illis qui flectunt non est dubitandum: at de illis qui extendunt, quispiam fortasse dubitare posset, qui solam extensionem spectaret; verum si consideremus extensionem digitorum, non ob aliam causa fieri, nisi vt inter se plurimum distent ad maxima & grandia corpora comprehendenda, videbimus ad meliorem apprehensionem desiderari quoq; non solum musculos extendentes, verū etiam laterales motus, vt quantū sit opus digiti distare queant; immo non solum laterales motus, verum etiam vtrasque manus necessarias fuisse omnes intelligent, & hæc de musculis maioribus, quorum causa motus concitati ac vehementiores fiunt.

At musculi minores, qui ad motum digitorum pertinent interdum decem, & nouem, interdum vnus & viginti numerantur: Si vnus & viginti numerantur, septem motui pollicis dicati sunt, si decem & nouem quinque tantum: minimo digito quattuor deseruiunt: reliquis vero, tres vnicuique debentur.

Primus musculus paruus supra Veneris montem transuersus residet, a membrana carnosa oritur fibris carnosis refertus, atq; in tendinem latum implantatur, vt ipsum dilatet.

Quattuor alij subsequuntur graciles, teretes, qui a tendinibus tertij musculi interioris exoriuntur, sedem habent in vola prope primum quattuor digitorum articulum. desinunt in teretem & nerueum tendinem,

atque per digitorum longitudinem delati tendinibus primi musculi exterioris adhærescunt, & in tertium articulum terminantur, quod an verum sit, sectio ipsa docebit. Horum officium est quattuor digitos vnà cum exteriori musculo extendendi, sedem vero interius sortiti sunt ob imminens periculum eorum qui exterius positi sunt: quo fit etiam, vt si quando exteriores tendines incidantur, digitorum tamen extensio non omnino aboleatur.

Sextus prodit a ligamento carpi, nec non ab eiusdem osse quarto, montem Veneris nobis describit, quasi teres est, atq; in tendinem desinit, qui in primum os auricularis, seu minimi digiti implantatur. Huius vsus est, vt hunc digitum ab alijs abducat.

Septimus oritur ex ligamento carpi, in superiori parte situs est, atq; totus carnosus in secundum os pollicis implantatur.

Duo alij subsequuntur, qui ex ligamento carpi prodeunt, quorum primus carnosus est vti & septimus, & iuxta septimum enascitur; volam versus positus est, atq; tendine admodum exiguo in idem secundum os pollicis implantatur.

Alter vero ex eodem carpi ligamento sub septimo exoritur, totus & ipse carnosus est, & in primum pollicis articulũ definit. Hi duo musculi vna cum septimo montem Martis nobis describunt, ad suam originem pollicem adducunt, eundem extendunt, & procul ab alijs abducunt.

Tres alijs succedunt, qui principium semicirculare obtinent, & ab ossibus metacarpij exurgunt, quæ indici, medio, & anulari præfiguntur; situm obliquum vel transuersum potius adepti sunt sub linea, quam vitalem appellant, & in secundum pollicis articulum implantantur, quod si quis hos tres musculos vnicum esse voluerit, cuius latum sit principium, finis acutus, & variæ sint fibræ, non multum laborabo. Horum munus est, vt pollex volam versus inflectatur.

Decimus tertius ab osse metacarpij, quod indici præponitur ortum habet, inter pollicem & indicem positus est, & situm transuersum obtinet. Huius partes sunt, vt pollicẽ versus indicem trahat, atq; indici superponat.

Octo alij musculi subsequuntur, qui ab ossibus metacarpij originem ducunt. Ex his musculis duo vnicuiq; digito donati sunt excepto pollice, in quem nemo ex his octo inseritur. Horum munus est, cum duo simul agũt, vt primum articulum digitorum in quem inferuntur, recte flectant; sed cum vnus duntaxat agit, flexio illius digiti obliqua subsequatur; & hæc de musculis digitorum dicta sufficiant.

Inter partes quoq; digitos cõstituentes pinguedinẽ numerauimus, quæ à facultate quidem alteratrice habet, vt sit calida & humida, calida quidem, quoniam ex Gal. xi. de simp. med. cap. de pinguedine, calfacit, non transcendit tamen primum caliditatis gradum, quia dolorem sedat & lenit; vt docuit Gal. 5. simp. 19. humidior tamen est quàm calidior, vnctuosa leuis, tenuis, & alba: per facultatem vero formatricem consecuta est, vt concreta, vnita, & continua existat: magnitudinem quoque & conformationem

tionem adeptā est, ipsi quoq; magnitudinem & conformationem dedit, eamq; iuxta membranas ligamenta, tendones, neruos, atq; vt vno verbo dicam iuxta omnia corpora sanguine vacua collocauit, & particulis illis obduxit. Huius vsus proprius est, vt calorem innatum partium subiectarum secundum totam illius naturam custodiat, ac tueatur, nempe secundū substantiam motuum & calidam qualitatem, quibus omnibus tota calidi innati natura conseruatur, etenim pinguedo per sui caliditatem & humiditatem tanquàm per sui temperiem conducit ad caliditatem & humiditatem calidi innati conseruandam, per suam unctuositatem tanquàm per id quod consequitur, & densitatem ueluti per id quod accidit ad illius substantiam conseruandam confert, nec non ad cohibendum motum, quo fit, ut non ita facile exhalare ac dissipari possit: præter hanc utilitatem alias quoq; communes habet, corpora namq; sicca & tenuia suo pingui natiuo humectat, ne in diuturnis inedijs, ac uehementioribus exercitationibus, & caloribus immodicis exsicentur, atq; indurescant, ut uoluit Gal. 16. de usup. 2. quare & ad facilitatem motuum conducit, & munere propugnaculi fungitur subiectasq; partes a frigore & æstiuo calore ueluti etiam caro tuetur: ad operationem itaq; manus conducit, ut est causa, tum securitatis, tum melioris operationis.

Cutis quoq; natura non parum prodesse uidetur, quippe quæ per facultatem alteratricem habet, ut sit temperata, & ex omnibus cutis partibus, quæ brachium operit, hac uero cutis manus extremæ, omnium temperatissima extrema cutis interna digitorum & præsertim indicis, quemadmodum docuit Aui. lib. primo fen. prima doct. 3. capit. primo, & Gal. primo, de temp. 9. habet præterea ab eadem, ut neq; sit admodum mollis, neque admodum dura, & omnium partium imbecillima. A formatrice uero, ut neq; sit admodum rara, neq; admodum densa, pororum tamen tota plena preterquàm in foetibus nuper natis, quemadmodum docuit Gal. primo de sanit. tuen. x. & xij. habet quoq; ab eadem, ut sit continua præterq̄ in quibusdam locis, cuiusmodi etiam sunt extremi digiti, ubi ungues affixi sunt. Cum subiectis quoq; partibus situm illum & nexum habet, ut pars quædam a subiecta substantia separari possit, quædam uero nullo modo possit, ueluti est cutis interna extremæ manus, quæ parti subiecte, ita coalescit, ut appensa non adhæreat, quemadmodum eiusdem manus cutis exterior.

Plures itaq; ut habeat utilitates est necesse, cuius tamen propria est, ut genita sit ad tutelam partium proxime subiectarum; quod uero utilis sit ad ea cognoscenda, quæ dolorem inferre possunt, & ad excipienda totius corporis excrementa id habet commune cum alijs quibusdam partibus, quare per sui operationem quam habet uirtute facultatis sensitiuæ, nec non per sui glabritiem utilis est ad differentias tangibilium cognoscendas, & præsertim cutis interna manus, quæ si pilosa & hirsuta extitisset, non ita commoda corpora sibi appropinquantia tetigisset: ad exactam itaq; & certam tactilium qualitatum dignotionem utilis est per sui tempe-

riem,nec non per ea,quæ temperiem cõſequuntur nempe duritiē mollitiē & leuitatem. Non expectetis hoc loco,ut uobis proponam quæſtionem illam de ſenſu tactus, in qua diſputatur quodnam ſit inſtrumentum ſuſcipiendi,quod iudicandi,quod medium opportunum, utrum fiat iudicium in parte,an in primo ſenſorio,nunquid Gal. ab Ariſtotele diſſentiat, quoniam in doctrina,de partibus ſimilaribus hæc omnia ſunt longa oratione diſcutienda. ſat eſt nobis in præſenti ueluti per concluſiones alibi demonſtratas ea tantum proponere quæ ad illuſtrandam hanc methodum pertinere videntur: vtilitatibus itaq; ijs propoſitis quæ à temperie & temperiem conſequentibus proficiſcuntur, ad eam accedamus, quam nobis ſubminiſtrant ea, quæ neceſſario accidunt, hoc eſt conformatio illa, quæ ad laxitatem ſeu poroſitatem pertinet, nec non ſitus, cum omnium corporis partium viuentium ſit extima, hæc enim faciunt, vt ſit vtilis ad excipienda totius corporis excrementa, quemadmodum docuit Gal. libro de cauſis morb.cap.6. Poſtremo quòd vtilis ſit ad partes proximè ſubiectas ad iniurias extrinſecus occurſantium vindicandas, id habuit ab vtraq; facultate, tum alteratrice, tum formatrice, hoc eſt per id quod temperaturam conſequitur, nempe duritiem: nec non per id quod neceſſario accidit, hoc eſt per ſui conformationem, quæ ad denſitatem pertinet, non enim ita laxa a natura fuit conſtituta, quin extrinſecus occurſantibus reſiſtere poſſet. quibus ſic propoſitis ſatis conſtat cutem manus ad apprehenſionem conferre, vt habet vim, tum melioris operationis, tum ſecuritatis.

Poſtremo inter partes digitorum numerauimus vngues, quorum temperaturam frigidam & ſiccam nobis tribuit facultas alteratrix, ex qua durities moderata quidem eſt ſubſecuta: facultas vero formatrix magnitudinem, poſitionem, numerum & figuram impartiuit, ea namq; fuit iuſta vngnium magnitudo, quæ ſummitatibus digitorum æquaretur, atque extrinſecus potius quàm intrinſecus affixi ſunt; illorum vero numerus par numero digitorum eſſe oportuit, & figuram rotundam obtinuerunt. Quibus omnibus non exiguam apprehenſioni vtilitatem erant allaturi, ſiquidem mediocrem duritiem aſſecuti ſunt, vt corpora parua & dura facilius, ac melius apprehenderentur, atq; vt radere, aut ſcalpere, aut excoriare, aut diuellere digiti poſſent, ſi quando res ipſa poſtularet: non magis vero duri facti ſunt, quàm nunc ſe habent, ne facile rumperentur. natura itaque & vtilitati & ſecuritati eodem tempore conſuluit; magnitudinem vero ſummitatibus digitorũ æqualem ſortiti ſunt, vt corpora parua & dura nedum apprehenderentur, verum etiam, vt melius apprehenderentur, ſiquidem vngues ſi excederent & nimis longi eſſent, & propterea in ſe mutuo conſiderent, corpora parua veluti ſpinas, & pilos apprehendere digiti non poſſent, & paulo maiora non ita commode, quòd ſi breuiores eſſent, & ad ſummitates digitorum non peruenerint carniformis ſubſtantia firmitate priuata ad apprehenſionem impotens & inualida redderetur, quare vngues, ut inquit Hipp. neq; ſuperiores, neque inferiores eſſe digitorum ſummitatibus conuenit: rotundi vero facti ſunt gratia ſecuritatis, ſola enim

figurarum

figurarum rotunda eſt maxime omnium ad diſpathiam accomodata, vt quæ nullum expoſitum habeat angulum, qui frangi poſsit; continuo autem in longitudinem ſolum augeſcunt quemadmodum pili, vt quod aſsidue exteritur,alijs ſemper vnguibus nouis ſubnaſcentibus & antiquos propellentibus in locum illius ſit aliquid,quod ſuffulciatur, vngues itaque gratia eius, quod melius eſt, facti ſunt.

Ex his omnibus partibus,vt diximus,digiti conſtituti ſunt, quorum numerus quinarius fuit neceſſarius, nec non illorum inæqualitas. Numerus quidem quoniam ſi pauciores extitiſſent, multæ actiones læderentur; etenim ſi exempli gratia magnus digitus deperdatur, reliqui omnes poteſtate perire videntur, cum reliqui abſque magni auxilio rectè nihil agere valeant. Ordine & vtilitate ſecundi ſunt index & medius, horum namque vſus, & corpora pauca apprehendenda, & ad omnia ferè artium opera, & ſiquid cum violentia fieri oportet maxime neceſſarius eſt. Anularis vero & auricularis minimam omnium habent vtilitatem,quæ tamen in his conſpicua eſt, quæ circulo comprehendi debent,veluti humida & pauca, circa quæ digitos flecti vndique comprimentes opus eſt, qua in re minimus eſt vtiliſsimus, cum veluti aliorum operculum exiſtat. At ſi quod apprehendi debet magnum, ac durum fuerit,illorum quoq; numerus erit admodum vtilis, cum illud digitis quàm plurimum a ſeinuicem diſtantibus cõprehendere oportet, & plures idem complectentes ex pluribus partibus melius comprehendant,ſiue apprehenſio fiat è tranſuerſo & per latera, ſiue circulari motu: etenim ſi fiat ad latera perbelle fieri poteſt, ſi magnus digitus intro, omnibus alijs extra circunducantur: ſin circulo & plures ſint digiti quàm quinq;, ſuperabundabunt:ſin pauciores,deficient: fruſtra nihil operatur natura; ſed ſolicita eſt æque,vt ne deficiat aliquid, quemadmodum, vt nihil ſuperuacaneum procreetur: quando exceſſus & defectus opera perturbant.

Inęqualitas quoq; digitorum fuit admodum vtilis ſiue corpus magnum, ſiue paruum, vel humidum apprehendere velit: ad maiores namque moles vel fortiter continendas, vel fortiter emittendas æqualis comprehenſio multum conducit; quæ quidem æqualitas non contingeret,niſi eſſent digiti inter ſe inæquales,hoc autem ſatis conſpicuum eſt,quando exquiſitæ ſphęricum corpus comprehendunt, ob id etiam in triremibus remorum extremitates ad vnam in remigando æqualitatem perueniunt, cum tamen ipſi omnes non ſint æquales, ſiquidem medij omnium longiſsimi exiſtunt: quòd ſi optimam horum, tum poſitionem, tum magnitudinem contemplari placet: fac,vt poſitionem & magnitudinem immutari concipias: tunc enim facile intelliges quantum nocumentum ex huiuſmodi mutatione actionibus ipſis ſuccedere poſsit:magna enim corpora & parua,& ſiquid humidum continere libebit,non recte tractabimus, magnitudine alicuius digitorum commutata; quare digiti numero,figura,magnitudine,ac poſitione nedũ ad apprehenſionẽ,verũ etiam ad meliorẽ apprehenſionẽ facti ſunt Cuius rei gratia natura quoque duas manus potius quàm vnam produxit,

vt cor-

vt corpora maxima tractari, & artes multæ exerceri possent, quæ vnica manu vel nullo modo, vel non ita commode exerceri potuissent, quibus omnibus operationibus ratio tanquàm opifex præfici debet, & hæc de operatione totius corporis tanquàm vnius organi maxime omnium compositi & anatomicæ facultatis subiecti, vt ab optimo & perfectissima medico considerentur, dicta sint; quæ ratio considerandi si cuilibet instrumento accommodabitur, nihil erit meo quidem iudicio, quod ad inuestigandam cuiuslibet partis naturam desiderari posit.

FINIS.

INDEX RERVM PRIMARVM, QVAE IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

FINIS.